PRAESIDIA SANITATIS
QVIBVS
VITEMBERGA
ABVNDAT
CONTRA TRITVM SERMONE PROVERBIVM
Wer von Wittenberg kommt mit geſundem Leib

MVNVS PROFESSORIS PATHOLOGIAE
CLEMENTISSIME SIBI DEMANDATVM
AVSPICATVRVS

DEFENDIT

CHRISTIANVS GODOFR. STENTZEL
ARTIS SALVTARIS ET PHILOSOPHIAE DOCTOR
CHIRVRGIAE AC PATHOLOGIAE PROFESSOR
PVBLICVS ORDINARIVS

Vitembergae, ex Officina Eichsfeldiana.

DE PRAESIDIIS SANITATIS QVIBVS VITEMBERGA ABVNDAT

I.

Audiatur & altera pars, ſermone trita, triti uſu inter omnes gentes iuris, eſt regula. Audiatur & Vitemberga noſtra, quae multis, ob plures, easque infenſiſſimas ſanitati conditiones, uti ex uulgari & peruagata creditur traditione, peſſime audit. Audit omnino male Leucorea noſtra, ſi iniqua iniquorum obtrectatorum iudicia, ſtupidorumque hominum de eadem praeiudicia, iudicii impedimenta, audias. Vitembergam ita, perniciofiſſimam omnium grauiſſimorumque morborum ſedem, ac ſpurciſſimam ſordium foediſſimarum ſentinam, multi appellant, eamque, tanquam exitioſiſſimum, omnibus uitiis infamem, omnibus commodis atque emolumentis deſtitutum, acutis lentisque diuitem uenenis, ac hominibus hominumque incolumitati peſtilentiſſimum locum, deſcribunt, damnant, reiiciunt, aſpernantur. Adeo olim, peſſima morborum, ſeminumque eos generantium ac fouentium ſuſpicione, ſuſpecta erat Vitemberga noſtra, ut illum pro albae gallinae filio reputarint, qui proſperam firmamque ſecum, Vitemberga diſcedens, ualetudinem abſtulerit, teſtante ac demonſtrante idem communi ac peruulgata uulgi ſen-

tentia, quam ſequentibus Poeta (a) rhythmis exponit: Lipſiam ut & Ienam ſi quis ſine coniuge linquit, ſique Vitembergam quis ſine labe uidet, tandem Helmſtadium abs colaphis gladiisque uoratis, is fortunatus iure uocandus erit. Noſtrates dicebant: *Von Jen und Leipzig ohne Weib, von Wittenberg mit geſundem Leib, von Helmſtadt ungeſchlagen, weiß wohl von Glück zu ſagen.* Facetum non minus, quam Vitembergae ignominioſum eſt dictum, a LEIBIO (b) allegatum, ac Philippo Melanchtoni perperam adſcriptum, quod ex mala Leibii interpretatione, peruerſaque ad Studioſos Vitembergenſes applicatione, ſequenti comprehenſa carmine, conſtat: tres comitant morbi noſtros plerumque ſcholares, paupertas, ſcabies, & pituita frequens. Verba, quae Melanchtoni Leibius tribuit, ſunt ſequentia: *Ein Student hatt gemeiniglich drey Kranckheiten an ihm, 1) Armuth, 2) Grind, und 3) Rotz.* En infamem famae incertae uim! famae, inquam, infamis, mali, quo non aliud uelocius ullum, quodque mobilitate uiget, & uires acquirit eundo; ea quippe huiusmodi famae conditio eſt, ut, non niſi cum mentitur, perſeueret, detrahens, adiiciens, demutans de ueritate, prouti cuiuis placet. Quis uero tali famae, quae locum non habet, ubi res certis euicta teſtimoniis ab omnibus approbatur ac creditur, fidem habebit? Hoc nihiloſecius mendacium, ex auctorum ſententiis minus rite perſpectis, maleque explicatis, enatum, ac per totum orbem diſſeminatum, cum temporis incremento, creuit ita, ut ueri iam ſpecie adornatum, & acriter propugnatum, nos commonefaciat, nihil tam uolucre eſſe, quam maledictum, nihilque facilius emitti, nihil latius diſſipari, quod Galli hocce prouerbio eleganter exprimunt: *une mediſance, un méchant*

(a) Leibius Libr. apophthegm. Coburgi in 12mo ao. 1627. edit. Cent. 1. epigram. 6. (b) Lib. apophthegm. ed. cit. Cent. 3. epigr. 26.

chant mot ſe répand d'abord dans tous les eſprits. Nam ualde adhuc de ſuperioris ſententiae, quae Philippo Melanchtoni imputatur, ueritate dubito, cum, eiusdem ſcriptis perquiſitis, eandem haud potuerim inuenire. Simus praeterea liberales, concedentes, quod allegatis uerbis Melanchton uſus fuerit, quid inde? nihil ſane, quod famae honorique noſtrae Vitembergae aduerſetur & repugnet, deprehendemus. Etenim, cum Philippus Melanchton primum Tubingenſis fuerit Profeſſor, anno deinceps milleſimo, quingenteſimo, decimo octauo, Tubinga Vitembergam, teſte SVEVO, (c) ad docendas Graecas literas, euocatus, clarum ac perſpicuum eſt, quod eadem ſententia, eodem iure de Tubingenſibus, quo de Vitembergenſibus, praedicari poſſit; de neutra uero adductarum Academiarum idem in ſpecie dixiſſe Melanchtonem, ex generali uerborum adhibitorum nexu abunde patet, ea quippe, quae Melanchton allegat, mala, non, ut calamitates Studioſis Tubingenſibus aut Vitembergenſibus proprias, ſed omnibus omnium peraeque locorum literatis communes, adducit, lugens ac deplorans acerba, quae ſtudia ſtudiorumque cultores ac doctores comitentur & ſequantur, fata, cum laeſo, per uitam ſedentariam, ſolidorum robore, bonaque humorum diſpoſitione labefactata, & exhauſta per meditationes & diutius protractas lucubrationes limpha laudabili, nutritioni ac uirium reſtaurationi impendenda, iisdem, praeter inopiam, ordinarium doctorum uirorum praemium, nihil, quam omnis generis infirmitates, inter quas, frequentes, ſcabies, coryza, atque aliae ſic dictorum catarrhorum ſpecies, reſiduae maneant.

 II. Cer-

(c) In Hiſtor. Academ. Vitemberg. ſub Rectoratu Ioh. Staebii de Ginglin an. 1518. de 25. Auguſti.

II. Certum quidem exploratumque mihi eſt, quod aliam priſcis temporibus rerum faciem & mores Vitemberga Vitembergenſesque obtinuerint, ac, quod agreſtis & inhumana priſcorum Vitembergenſium negligentia, neglectumque ab iisdem munditiei, ſobrietatis, pietatis aliarumque uirtutum ſtudium, uaria Vitembergae, quae tamen certis duntaxat indiuiduis debebantur, opprobria pepererit. Ponamus igitur, quo citius e difficultatum labyrintho eluctemur, Vitembergam priſcam, fuiſſe locum luto & ſordibus ubique inquinatiſſimum, formam pagi magis, quam ciuitatis, obtinentem, optimorum & ad uitam ſuſtentandam neceſſariorum ſubſidiorum expertem; largiamur, primos primae Vitembergae ciues inciuiles, rudes, agreſtes, nullam morum, nullam religionis curam habuiſſe; concedamus, primas, quae Vitembergae exſtructae fuerunt, domus, uilibus caſis, & tuguriolis ruſticorum lutoſis, & ſtramine tectis, fuiſſe ſimiles; demus pariter, terram, agros, & hortos, Vitembergam undique cingentes, inutilium copia fruticum ac carduorum obſeſſos, horridos, incultos, ac ſteriles iacuiſſe. Verum enim uero, ſi etiam deploratiſſima, qualis uix concipi animo poſſet, primis temporibus Vitembergae fuiſſet conditio, quid haec ad nos? quid haec ad noſtra tempora, noſtrumque, in quo uiuimus, ſtatum, qui Vitembergam, Vitembergae antiquae prorſus diſſimilem, exhibet? Quae unquam fuit ciuitas, opum atque aedificiorum ſplendore illuſtris, aut emporium commerciis inſigne, quod tenuem originem non habuit? ante duo millia annorum, ait VARRO, (d) & centum circiter, in tuguriis habitabant & caſis, nec murus, nec porta, quid eſſent, ſciebant. Reſpice Romanae initia urbis, uiles ac leues primum conſtruebantur caſae, loco

(d) de Re Ruſtica lib. 3. cap. 1.

loco muri, muri erat ſimulacrum, artes, quas exercebant, erant latrocinia ac rapinae, &, uti CICERO (e) loquitur, in agris homines paſſim beſtiarum more uagabantur, & ſibi uictu ferino uitam propagabant, nec ratione animi quicquam, ſed pleraque uiribus corporis adminiſtrabant; haec tamen ciuitas, Roma nempe, quae tam tenuia habuit principia, ſenſim paulatimque, praeter modum, unitis incolarum uiribus, ita creuit, ut emendatis ſucceſſiue ciuium moribus, morumque cultura cum artium exercitio prudenter ſociata, nulla in uniuerſo terrarum orbe ciuitas egregio florentis Romae ſplendori aequiparanda fuerit. Vides hinc, quod exercitatio omnia emendare, omnia perficere, & noua plane ignotaque adhuc inuenire queat, *l'exercice*, dicunt Galli, *fait tout; on vient about de tout avec application.* Vos igitur, qui Vitembergam parui facientes aperte & audacter ludificamini & calumniamini, oro, rogo atque obteſtor, ut ueſtrae patriae, ut ueſtrarum principia, primos mores atque inſtituta ciuitatum ciuiumque conſideretis, ac deinceps, quae nobis reſtent uitia, allegetis ac demonſtretis, nam, ex Italorum prouerbio, *chi ſchernisſce il zoppo, dee eſſere dritto*, ſpernere uis alium, uitio ſis purus ab omni; alias certe, certa ueſtrae dementiae, ueſtrae ſtupiditatis ac malitiae ſigna, ſoricum inſtar, proditis, qui omiſſo grauiorum malorum, quae ueſtra infamant ac corrumpunt oppida, examine, leuiores Vitembergae naeuos perſtringitis atque exaggeratis, immemores regulae Platonicae, quae aliam plane iudicandi methodum uobis iniungit, ὅτε καταγελάσωμέν τινων, monet idem, ἐπιςρέφειν ἐφ' ἑαυτοῖς καὶ σκοπεῖν δεῖ, μὴ καὶ αὐτοὶ τοῖς αὐτοῖς ἐσμὲν ἔνοχοι· πολλὰ γὰρ τὸ φίλαυτον ἐπικρύπτει καὶ περιβάλλει, παρὰ τῶν μᾶλλον καταγελώντων.

(e) Oper. ed. Gruteri de Inuent. lib. I, P. 78. A. 2.

λώντων. Enim uero, opprimit ſemper calumnia meliora, & inuidia, ac demens ſui ipſius, ſuaeque patriae amor, cum puſillanimi quadam crudelitate ſociatus, impedimento ſunt, quo minus huiusmodi obtrectatores uerum agnoſcant, ſed exiliores alterius loci maculas lynceis oculis aſpiciant ac contueantur, endemiorum contra, quibus patria eorum ſcatet, uitiorum prorſus obliuiſcantur, imitantes illud naſutulorum genus, de quibus Aeſopus refert, quod binas obtineant manticas uel peras, alteram a ſcapulis tergoque propendentem, cui ſua committant dedecora occultanda, reticenda, alteram ante oculos conſtitutam, cui obſeruanda, rimanda, promulganda aliena credant crimina; unde illud Catulli, ſed non uidemus manticae, quod in tergo eſt, ſtultitiae enim proprium, aliorum uitia cernere, obliuiſci ſuorum. Hoc plane modo inuidae improborum, qui Vitembergam omnis generis conuitiis conſectantur, linguae procedunt, quae more muſcarum ad equini dorſi recrudeſcentis ſcabiem collectarum, iſtuc, ubi uitioſi quid Vitembergae ineſt, illico confluunt, huic inſiſtunt, omniaque per microſcopium inſpiciendo & contemplando, augent ac multiplicant, emolumenta Vitembergae propria ac peculiaria, aliaque laude digna & bene geſta tacite ac negligenter praetereuntes; ſed non poteſt non turpiſſimum eſſe animal, quod ſola ſanie paſcitur.

III. Ne uero credas, quod egomet Vitembergam praeſidiis ſanitatis abundantem delineaturus ac defenſurus, ullam labem crimenque aliis locis, aliis Academiis uelim affricare, hoc accipe monitum, meum laborem, refutandis iniquis inique de Vitemberga latis iudiciis, quae modo huius loci aerem, modo aquas, aliaque neceſſaria ſanitatis ſubſidia culpant, deſtinatum eſſe. Nec te oc-

cupet

cupet praeceps haec perſuaſio, perſuaſum mihi eſſe, quod Vitemberga talis ſit locus, qui nulla egens emendatione, ab omnibus uitiis ſit immunis; genuinam ſaltem Vitembergae, Vitembergenſiumque emolumentorum, ac commodorum, ſanitatis conſeruationi & morborum medelae ſeruientium deſcriptionem mente uoluens ac meditans, illa opprobria & praeiudicia, quae his confirmandis officiunt & obſtant, ſimul remouere ſtudebo. Quid pluribus opus argumentis ac teſtimoniis, ſi euincam, quod Vitemberga nulla morborum endemiorum, ſiue acuti, ſiue chronici ſint, ſemina alat foueatque, omnis contra generis ſubſidiis, quibus proſpera defenditur ualetudo, ac longaeuitas, morborum expers, impetratur, ſit referta. Quid autem ſanitate melius, quid eadem praeſtantius ciuitas homini largiri poteſt? nam in ſanitate corporis, cornu ſtat omnis copiae, quod nemo noſtrum ponderat, raroque de illa cogitat, *chi ha la ſanita*, dicunt Itali, *e ricco, non loſa.* Illum igitur locum merito laudare poſſumus, ac debemus, qui & a natura ſanitati defendendae, ac longaeuitati feliciter obtinendae fauet, & plura, artis miniſterio praeparata auxilia, ſcopo eidem ſeruientia, porrigit. Talem uero ciuitatem, eſſe Vitembergam noſtram, nullus dubito aſſerere, mira funerum, quae quotannis apud nos efferuntur, paucitate, prouecta tot hominum hic uitam degentium aetate, eorumque multitudine, & morborum endemiorum, quos plane ignorat Vitemberga noſtra, abſentia, perfecte pleneque conuictus. Alia autem eſt ſanitas corporis, mentis alia, utraque unita ueram & integram hominis ualetudinem ac felicitatem conſtituit; dehinc omnia ea, quae mentem tranquillam in ſano conſeruant corpore, praeſtantiſſima certae, quam in hoc mundo aſſequi licet, felicitatis adminicula uocari poſſunt. Eandem mecum ſententiam amplectitur Dominus SORBIE-

B RE,

RE, (f) qui, duobus iam conſtitutis felicitatis humanae fundamentis, duo adhuc, fortunam nempe, & praeclarae amicos conditionis adiungens, ita ratiocinatur: *quatre choſes eſſentielles a la felicité, & qui ne nous ſont pas renduës telles par quelque opinion fauſſe, ſanté, tranquillité d'eſprit, biens de la fortune, amis de réputation.* Haec, ſi attendas, & requiras, non certa duntaxat ſanitatis, ſed perpetua quoque perpetuae felicitatis praeſidia, Athenae Vitembergenſes, tibi affatim, nullo malorum interuentu, ſuppeditabunt. Ipſa uero ſanitatis in bono machinae humanae ſtatu fundatae praeſidia, quibus Vitemberga noſtra abunde inſtructa, quibusuis afflictis ſuccurrere geſtit, uel a loci ipſius, rerumque, quas alit, ac ſubminiſtrat, conditione, & copia, uel ab incolarum, quos ſinu ſuo productos atque enutritos complectitur, & ſuſtentat, conſtitutione, arceſſenda ſunt. Praeſidium quippe ſanitatis, omne illud nobis eſt, quod uel per ſe, uel alius ſimul interuentu auxilioque, optimam ſolidarum fluidarumque partium corporis humani diſpoſitionem conſeruando, amicum & mutuum, quod inter mentem & corpus intercedere debet, commercium promouet, ac procurato & ſeruato libero atque aequali omnium functionum, conſtanti ordine procedentium, exercitio, per plures annos uitam humanam ab omni morborum impetu, incommodo, ac detrimento liberam tutamque, ad ſeram usque ſenectutem, propagat. Huiusmodi uero ſanitatis praeſidia, uel in nobis, noſtrisque ſuccis, ac neruis, uel extra nos conſtituta reperiuntur. Praeſidia ſanitatis in nobis ipſis ſubſiſtentia, ſunt ſufficiens neruorum robur, atque optima ſanguinis, impuritatibus liberi, indoles, & reliqua hanc conſeruantia & adiuuantia bona, primo ortui primique ortus ſtaminibus adiudi-

(f) Sorberianis, ou bons mots, rencontres agreables, penſées iudicieuſes & obſervations curieuſes, a Paris 1696. in 12mo p. 89.

adiudicanda, quibus longaeuitas acquiritur. Internis uero proſperae ualetudinis praeſidiis externa ſuppetias ferre debent; ex horum numero ſunt, aer, cibus & potus, motus & quies, ſomnus & uigiliae, ſolemnes ac conſuetae corporis ſecretiones & excretiones, animi commotiones, & reliqua, quorum uires, & effectus, in ſanis atque aegrotis, quotidianus uſus, optimus rerum quarumuis magiſter, ſatis ſuperque confirmat.

IV. Quem uero latet, ac quem, quaeſo, ſanae rationis compotem latere poteſt, quod praeſidia, quae externa dicimus, maximam partem a loci, ubi uitam agimus, conditione, dependeant, ac pro uaria aquae & telluris natura, multiplici mutentur ratione. Ex ſitu itaque noſtrae ciuitatis, & iis, quae in eadem, & circum eandem occurrunt, ante omnia bona, imo optima Vitembergae indoles, a labe uitiorum, illi imputatorum, uacua, eruenda, eruta exemplis atque experimentis demonſtranda eſt. Quanta uero haec perquirendi ſit neceſſitas, ac quam ſerio hocce munus medico iniunctum incumbat, iam ſuo tempore diuus Cous, (g) cui ſimilis inter medicos nondum natus, non naſcetur, probe perſpexit, qui quemuis medicum admonet, ut medicae exercitium pathologiae ſuſcepturus, ciuitatis, quam adit, atque in qua commoratur, conditiones attentis oculis menteque circumſpiciat, quomodo ſcilicet ſitus eiusdem, habita uentorum ſoliſque orientis & occidentis ratione, ſit comparatus, cum maximum intercedat diſcrimen inter praeſidia ualetudinis, quae urbes ad Septentrionem, uel Auſtrum, ſolemque orientem uel occidentem ſitae, ſubminiſtrant. His deinceps, quo medicus in cognoſcendo, iu-

(g) lib. Hippocratis de aere, aquis & locis, qui cum commentariis Zwingeri, Baſileae apud Epiſcopium 1579. in folio prod. p. 239. mox ab initio.

iudicando, conſulendo, medendo, certiori nitatur fundamento, exactius aquarum, terrae, fruticum, fructuum, metallorum, examen adiungendum eſſe, praecipit, praecepta ſequentia, notatu & obſeruatu digniſſima, ſuppeditans: *ὥστε ἐς πόλιν ἐπειδὰν ἀφίκηταί τις, ἧς ἄπειρός ἐστι, διαφροντίσαι χρὴ τὴν θέσιν αὐτέης, ὅκως κέεται πρὸς τὰ πνεύματα, καὶ πρὸς τὰς ἀνατολὰς τοῦ ἡλίου· οὐ γὰρ τωὐτὸ δύναται, ἥτις πρὸς βορέην κέεται, καὶ ἥτις πρὸς νότον, οὐδ' ἥτις πρὸς δύνοντα. Ταῦτα δὲ ἐνθυμέεσθαι ὡς κάλλιστα, καὶ τῶν ὑδάτων πέρι, ὡς ἔχουσι, καὶ πότερον ἑλώδεσι χρέονται, καὶ μαλακοῖσι, καὶ ἀτεράμνοισιν. Καὶ τὴν γῆν, πότερον ψιλή τε καὶ ἄνυδρος, ἢ δασεῖα καὶ ἔφυδρος, καὶ εἴτε ἐν κοίλῳ ἐστὶ καὶ πνιγηρὴ, εἴτε μετέωρος καὶ ψυχρή. Καὶ τὴν δίαιταν τῶν ἀνθρώπων, ὁκοίῃ ἥδονται, πότερον φιλοπόται, καὶ ἔδωδοι, καὶ ἄποτοι. Καὶ ἀπὸ τουτέων χρὴ ἐνθυμέεσθαι ἕκαστα, εἰ γὰρ ταῦτα εἰδείη τις καλῶς, μάλιστα μὲν πάντα, εἰ δὲ μὴ τάγε πλεῖστα, οὐκ ἂν αὐτὸν λανθάνοι ἐς πόλιν ἀφικνούμενον, ἧς ἂν ἄπειρος ᾖ, οὔτε νοσήματα ἐπιχώρια, οὔτε τῶν κοινῶν ἡ φύσις ὁκοίη τίς ἐστιν, ὥστε μὴ ἀπορέεσθαι ἐν τῇ θεραπείῃ τῶν νούσων, μὴ δὲ διαμαρτάνειν.* Vtiliſſimis ac ſaluberrimis his Coi noſtri praeceptis ac monitis, perpetua dignis memoria, morem gerentes, iam ex ipſo ſitu Vitembergae, iam ex optima aquarum terraeque indole, eximiam praeſtantium ſanitatis praeſidiorum copiam, tibi tuaeque mentis oculis luſtrandam & examinandam ſiſtimus. Si Vitembergam, commodiſſimum ac tranquillum muſarum domicilium, ab ipſa diuina Prouidentia, huius gratia, ſelectum, atque electum, dixeris, dixeris uere atque ingenue. In quamcunque etiam partem oculos dirigas, quamcunque aſpicias terrae Vitembergenſis plagam, & omnia, quae illi circumcirca adiacent, ſedulo explores, plura ubique, quae tibi proſint, quae te conſeruent, quae te delectent, deprehendes. Sita eſt Vitemberga in Saxoniae ſuperioris planitie ad orientalem Albis fluuii ripam, uno circiter milliari ab oſtio fluuii Ely-

ſtri,

ſtri, in Albim ſe exonerantis. Si regionem Vitembergae orientalem ſpectes, qua ad fontem Luthero tantopere charum & amatum, uereque ſalutarem, itur, planitiem ampliſſimam, ſabulo terraque puriore conſtantem, omnis generis frumentis ſerendis & alendis accommodatiſſimam, inuenies. Lateri ſiniſtro huius planitiei, lucus, uiridiſſimarum denſe conſitarum amoenitate arborum conſpicuus, quem noſtrates *die Specke* uocant, adiacet; ab altero latere, puriſſima fluuius Albis unda, leni inter ſabula ſaxaque decurrens murmure, uicinam peraeque habet ſiluam, quae *Probſtey* dicitur, omnis generis fruticibus atque arboribus ſuperbientem, ita, ut, quocunque oculos, aures, aliaque ſenſus organa uertas inclinesque, eadem, plura, quibus mentem, iucundiſſima & optima quaeque uidendo, audiendo, oblectent ac recreent, ubique aduertant. Ab orientali ad occidentalem progrediens plagam, quae pagum academicum, *Apollensdorff*, & montem, collem potius, eodem nomine a Sancta dictum Appollonia, non ab Appolline, uti uulgo creditur, oppoſitum habet, eadem, imo uberiorem adhuc rerum utilium ac ſalutarium copiam, quae Vitembergam, huiusque ſalubritatem atque amoenitatem commendant, obſeruabis; planities quippe, quae aliquantulum accliui conſtat ſitu, puriori coagmentata ſabulo, pyrite copioſo intermixto, occidentalis Vitembergae pars eſt, cui ab altero latere finitima eſt fruticoſa ſilua, *die rothe Marck* uocata, ab altero latere ſuum curſum continuat fluuius Albis, eiusque oppoſitam ripam plures muniunt & exornant arbores. Septentrionalis regio undiquaque innumeris ſepta hortis, non ad ornatum ac ſplendorem, ſed utilitatem comparatis, atque olera fructusque neceſſarios & ſalutares elargientibus, amoeniſſima ueris aeſtatisque tempore ani-

morum recreandorum diuerticula praebet. A meridie uero Vitemberga primum planitiem, optima ciuium pecoribus paſcua praebentem, quae hinc quoque *der Bürger Heger* appellatur, nobis ſiſtit; hanc alluit, rigat, fertilemque reddit fluuius noſter, recto progrediens itinere. Traiecto flumine, terram pinguiorem, arena tamen permixtam, quae, quo magis a Vitemberga diſtat, eo limoſior, pinguior, udoſior exiſtit, unde quoque nomen *Aue* ſeu *Auland*, accepit, deprehendimus. Ambit urbem totam uallum & foſſa admodum lata ac profunda, cum fluuio noſtro communicans, ad quem continuo ex ciuitate profluentes aquas ſordesque deducit, ac cuius inundatione, quotannis ſemel uel bis eueniente, eluitur, ita, ut merito Vitembergae noſtrae illam ἐυκαιρίαν πολύτροπον adſcribere queamus, quam Alexandriae Aegypti VITRVVIVS (h) tribuit, de eadem referens, quod, cúm aliae urbes ad lacum ſitae, grauem & ſuffocantem habeant aerem, peſtilentium auctorem affectuum, eadem, eiusdem foſſis, Nili inundatione elutis & expurgatis, ac ſublata omnis corruptionis cauſa, aerem purum, tenuem, ac ſincerum obtineat.

V. Haec cuncta, quae in delineando externo Leucoreae noſtrae habitu ac ſitu, adduxi, ueritati reſpondere, omnes norunt, qui Athenas noſtras unquam a limine ſaltem ſalutarunt ac uiderunt; quo minus uero putes, externis interna minus congrua eſſe, hoc ante omnia monendum habeo, quod ciuitas noſtra mediocris ſit magnitudinis, magis longitudine, quam amplitudine, conſpicua. Eandem ſplendidis ornatam aedificiis eſſe, ſi aſſererem, aſſererem iniuſte minusque uere; plures tamen, praeter egregia aedificia publica, praeſtantes & affabre com-

(h) Lib. I. de Architectonic. cap. 6.

commodeque conſtructas domus poſſidet; maxima autem earum pars, luculentum de anguſtis, quae ciues noſtros grauibus oneribus preſſos, fere opprimunt, rebus, teſtimonium praebet, ita tamen eaedem comparatae ſunt, ut ſatis commoda muſea, uili impetranda pretio, in iisdem ſtudioſi egeni inueniant. Plateas admodum amplas Vitembergae inuenis, ipſaeque platearum, arearum ac moeniorum diuiſiones ita directae ſunt, ut libera aeris uentilatio conſeruetur partim, partim uentorum, qui uel frigore laedunt, uel calore uitiant, aut humiditate nocent, uis & uehementia, tum temperata, tum excluſa, infringatur, atque impediatur. Binis locis bini per totam urbem decurrunt riui, ſuos non excedentes alueos, quorum alter rapido profluens motu, *die riſche Bache*, alter tarde incedens, *die faule Bache*, appellatur. Hi riui per uniuerſam diuerſis locis urbem penetrantes, non excrementa modo, quae quotidie egerunt homines, ſed omnes quoque a plateis confluentes ſordes & quisquilias, in foſſam, ciuitatis uallo adiunctam, & per hanc in Albim abducunt. Quem igitur latet? quis negare poteſt? quod, cum plures huius ciuitatis cloacae abeant in riuos, riuisque, quae per easdem colantur, bona malaque communicent, maximum exinde in Vitembergam, Vitembergenſiumque ſanitatem, commodum redundet; nam, quo cloacae frequentiores, frequentiusque iuxta ſe inuicem locatae, liberum, quo feces proluantur atque eluantur, tranſitum non habentes, eo maior, eoque pernicioſior aeris corruptio expectanda, quod apud nos, rebus aliter ac commodiſſime diſpoſitis, plane non metuendum eſt. Coriarii praeterea, ac qui fides ſeu chordas pro inſtrumentis muſicis ex animalium praeparant inteſtinis, uel alias immundas artes, aerem peregrinorum & noxio-

noxiorum communicatione effluuiorum corrumpentes, exercent, perpauci apud nos ſunt, iique uel extra ciuitatem habitant, aut in eadem commorantes allegato riuorum deſcriptorum emolumento fruuntur partim, partim res ſuas extra ciuitatem ea perficiunt ratione, ut de incommodis ac detrimentis, quae hinc RAMAZZINI, (i) AMMANVS, (k) BOHNIVS, (l) BOCCONVS, (m) deducunt, minus ſolliciti eſſe debeamus. Ignotae nobis noſtraeque Vitembergae ſunt exhalationes ſulphureae, bituminoſae, ſalinae, foetidae; nullae enim apud nos proſtant fodinae metallicae, aut ſalinae, quales Halenſes, quarum exhalationes perſaepe, aerem inficiendo, tuſſim, difficilem reſpirationem, phtiſin pulmonalem, apoplexiam, paralyſin, artuum tremores ac dolores, omnis generis febres producunt. Nec eſt, ut ſtabula, pecorumque, quae hic aluntur, copia, te de Vitembergae ſalubritate, tuaque ſanitate dubium reddat, cum maxima eorum pars extra ciuitatem nutriatur, foueatur, & frequens ſtabulorum, quae in ciuitate reperiuntur, expurgatio, omni, quod exinde uerendum, detrimento proſpiciat. Quod de ſuibus quoque, quarum uitio, conuitiis petulantius affecta Vitemberga inſons, tantopere uituperatur, tenendum. Nec ſtabula ſaltem, ſed plateae etiam a ſordibus frequenter purgatae, & ciuitatis & aeris puritatem tuentur, ordine nobis familiari eoque optimo, nam, hoc neglecto, milites armata ſordes manu in ciuium domos proiiciendo, eosdem ad ſeruandam ac promouendam munditiem adigunt. Nulla in oppido noſtro granaria ſubterranea reperiuntur, quae, aerem corruptum exhalando, ſanitati maxime infeſta eſſe, BEHRENSIVS, (n) ZACHIAS,

(i) lib. de morb. artific. cap. 16. p. 105. & 109. (k) Med. Crit. Caſ. 81. (l) de duplici medici officio, p. 533. (m) Obſeruat. curioſ. p. 463. (n) Select. Diaetet. quae in 4to Hillesheim. 1710. prod. Sect. 1. cap. 4. §. 2. p 18 & 19.

AS, (o) BOCCONVS, (p) exemplis adductis, teſtantur. Fontibus ac riuis, qui aquam limpidiſſimam & ſalientem, canalibus immiſſam, ſuppeditant, tota ciuitas, & omnes ac ſingulae fere domus ſunt refertae. Cryptas contra ſubterraneas, puteosque occluſos, quorum effluuia, ob ſtagnationem & conceptam putredinem, peſtifera ſunt, uti obſeruationes, a SACHSIO, (q) HANNAEO, (r) LACHMVNDO, (s) FEHRIO, (t) PARDIESIO, (u) PARAEO, (x) annotatae, confirmant, nullos plane habet fouetque Vitemberga noſtra. Sequentibus praeterea praerogatiuis prae aliis Vitemberga gaudet, quod ſedes quondam Regum & Ducum Saxoniae, iam propugnaculum electorale ſit, & metropolis electoratus Saxonici, *die Churſtadt.* Huc reſpexit Georgius, Dux Saxoniae, qui, literis, die decimo ſexto nouembris, anno milleſimo, quingenteſimo, uigeſimo primo, ad Ioannem, Ducem Saxoniae, datis, Vitembergam, teſte SECKENDORFIO, (y) urbem Ducatus Saxonici primariam, unde maximum decus & nomen, Electoratus nempe dignitatem gerant, appellat. Vitemberga inſuper complexu ſuo dicaſterium & iudicium prouinciale, Scabinatum porro, nec non Conſiſtorium academicum & eccleſiaſticum, continet. Omnium uero maximum Vitembergae praeſidium atque ornamentum cum SENNERTO (z) iudico, quod eadem fuerit, & ad hunc uſque diem, per Dei gratiam, ſit ſedes, quid ſedes? mater, inquam, fons & origo religionis Chriſtianae in inte-

(o) Quaeſt. med. legal. l. 5. p. 486. (p) obſ. curioſ. p. 858. (q) M. G. C. Dec. 1. Ao. 1. obſ. 33. (r) M. G. C. D. 3. Ao. 2. obſ. 13. (s) Oryctograph. Sect. 4. cap. 3. (t) Tract. de Scorzonera p. 161. (u) Ephemer. Gall. Ao. 67. p. 52. (x) Chirurg. lib. 10. cap. 13. (y) Hiſtoria Lutheraniſmi, edit. quae Lipſiae in folio 1694. prodiit, lib. 1. §. 130. addit. 1. ſub lit. m. p. 217. (z) Athenis Wittemberg. p. 9.

grum reſtitutae, ac muſarum domicilium longe lateque, qua mundi patet machina, celeberrimum, frendentibus licet ac frementibus orbe & orco.

VI. Ita horum emolumentorum natura, quorum breuem antecedentibus delineationem dedimus, in cohaerenti & continuata ſerie expenſorum, comparata eſt, ut quiuis iam, qui uera rerum pretia ſincere aeſtimare nouit, ac geſtit, plura alia, quae Vitemberga noſtra ſuggerit, commoda perſpiciat, approbet. Mihi hinc perſuaſiſſimum eſt, quod iisdem momentis commotus Mellerſtadius, rerum naturalium apprime gnarus, Friderico Tertio auctor ſuaſorque fuerit, Vitembergae academiam conſtituendi. Occaſio huius rei, teſte SENNERTO,(a) haec fuiſſe perhibetur, cum in comitiis Wormacenſibus, anno milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimo quinto, Imperatore Romanorum, Maximiliano Primo, communibus omnium ſuffragiis decretum fuiſſet, ut quisque electorum academiam in ſua regione inſtitueret, Fridericus III. reuerſus domum cum ſuis de loco academiae fundandae opportuniſſimo deliberauit. Nominatis itaque ab aliis aliisque, locis oppidisque aliis, Mellerſtadius Vitembergam commemorauit. Subridente electore ac conſilium hoc primum reſpuente, quod Vitemberga minus accommodatum tantae rei domicilium uideretur, Mellerſtadius non ſine indignatione reſpondiſſe fertur: cur Deo diffidis, Princeps clementiſſime? huic certe prouinciae & ciuitati, gratitudinis ergo, hoc beneficium debes, cum quibus nempe Maiores Tui, Electoratus dignitatem conſecuti ſunt. Haec, haec, inquam, in hoc minime ſplendido loco condita Academia, alias quondam, ſcias, omnes Germaniae, luce ſua obſcurabit. Tum ad haec Elector, ratum

(a) lib. cit. p. 15.

tum ergo faxit Deus omen hoc! aſſentior: ſit locus Academiae, Vitemberga. Quid, per Deum Immortalem! cogitauit Mellerſtadius? ſapientum huius ſeculi erit iudicium: non locum modo omnium longe iniquiſſimum proterue laudans, ſed contra Principem etiam, ei audacter contradicendo, in ſua ſententia obſtinate perſiſtens. Verum, hic conſideres neceſſe eſt, quod Mellerſtadius, & Principis ſui ingenium probe nouerit, & loci conditionem exacte perſpectam habens abunde agnouerit, eundem Academiae ſtabiliendae opportuniſſimum eſſe. Talem quippe locum prudenter inſtituenda Academia deſiderat, qui, & aeris noxiis miaſmatibus uacui ſalubritate, & honeſtorum libertate, ac copia exercitiorum, & annonae utilitate, ſummaque rei frumentariae facilitate, & ciuium beneuolentia ac liberalitate, ſe commendat. Diuerſas quidem, haec reſpiciens Mellerſtadius, difficultates atque obſtacula aduertebat, exoptato autem optimi inſtituti ſucceſſu confiſus, facilem eorum, quae adhuc remouenda, quae emendanda, quae comparanda reſtabant, effectum euentumque ſperabat; nec ſpes diuino nixa auxilio eundem fefellit, certo perſuaſum, quod haec academia aliquando fons omnium bonorum ſit futura, quae non Vitembergae ſaltem, Vitembergenſiumque culturae ac correctioni opem afferret maximam, ſed ex qua etiam exteri ab omnibus terrae plagis confluentes ſapientiam bonasque artes haurirent, & eccleſiae, puram doctrinam, doctoresque ſinceros, curia & tribunalia, uirtutem, prudentiam ac iuſtitiam, respublicae, medendi peritiam, peritosque medendi, priuatae familiae, prudentem ac moderatam rerum domeſticarum gubernationem, bonosque patresfamilias, peterent. Vix etiam leues rumores de Academia noua Vitembergae fundata innotuerant, cum maxima homi-

num a diuerſis terrae oris prodeuntium turba noſtram adiret ciuitatem, quo iidem uera imbuti ſapientia ueri euaderent homines, atque animali uitae, uita iungeretur rationalis. Haud inſcite craſſo cuidam & obeſae naris homini percontanti, quid diſcriminis inter doctos atque indoctos eſſet? reſpondit ARISTOTELES, quod inter uiuentes & mortuos, his innuens, eos, qui corporum uita duntaxat fruerentur, quam cum Arcadico communem pecore habent, & externis duntaxat oculis ſolem intuerentur, quem longe acrius inſpiciunt aquilae, animis uero, quibus lucem uitamque praebet bonarum artium ac literarum cultura, nihil cernerent, uix ac ne uix uiui nomine hominis dignos, ſed mortuos uerius eſſe, quam uiuos; quia, ſi uiuunt, uiuunt tantum brutorum more, & aetherea ſolum, omnis doctrinae & ſapientiae expertes, aura, qua & aſini, ueſcuntur. Omnia ſane, quae in hoc rerum humanarum fluxu refluxuque miramur, uana ac noxia malorum irritamenta, non remedia ſunt, niſi mentem humanam, natura coecam, ſapientia, eruditione comitata, regat & moderetur. Et profecto, ſi callidi rerum aeſtimatores, fundos & agros magni aeſtimant, quia his pignoribus minus noceri, ac nihil de iisdem perdi poſſe credunt, quanti putabitis ſapientiam atque eruditionem aeſtimandas, quae nec incendio eripiuntur, nec naufragio abſorbentur, & inter ipſas regnorum concuſſiones inconcuſſae conſiſtunt. Quid enim ſtirps? quid patria? quid genus? quid forma? quid honores? quid dignitates? quid corporis robur? quid aurum mortalibus tam charum? abeunt illa omnia, nec eximere nos queunt, aut noſtra, mortalitatis lege. Aurea uere Stoicorum erat ſententia: ſolus ſapiens diues & nobilis. Nobilitate hac ſuffultus Ioachimus Minſigerus a FRVNDECK saepius

dixit:

dixit: *der Doctor und Kantzler haben mir den Edelmann wiederbracht.* Cur fiam doctor, cum iam ſim nobilis, optas noſcere? dat Doctor ueram mihi nobilitatem. Si horum memor fuiſſet Fiſcellus, Legum Doctor, equeſtri dein adſcriptus ordini, omnium ludibrio ſe non expoſuiſſet; nam, cum idem in Synodo Baſileenſi, relictis, uti OTTO (b) habet, doctoribus, ſe nobilium adiungeret coetui, ſtulte agis, dicebat Imperator Sigismundus, qui literis militiam praefers, ego quippe, qui una die equites mille facere poſſum, ne unum mille annis Doctorem creare auſim. Cum igitur in ſapientiae, eruditionis, ac uirtutum cultura, uerae diuitiae, uera nobilitas, uera felicitas, uera ſanitas, unice ac ſolum conſiſtat, eum locum uere felicem ac ter quaterque beatum appellare poſſumus, in quo colitur, docetur, diſcitur, ac propagatur ſapientia. Sapientiſſimum hinc Friderici Tertii erat inſtitutum, qui Vitembergae muſarum ſedem conſtituens, maius & certius gratiae ſuae, qua Vitembergam deuotiſſimus Princeps amplectebatur, documentum non exhibere, nec maiorem ſibi ſuaeque Vitembergae ſplendorem, quam eo ipſo conciliare potuiſſet; nam nominis celebritatem, quam deinceps acquiſiuit Vitemberga, merito ab Academia ibidem fundata, deriuare decet, cum illa, ante hanc conſtitutam, locus fuerit plane ignotus, notus iam omnibus, quod ſequens Poetae, quem allegat RITTERVS, (c) deſcriptio oſtendit: inclyta Leucorei dicuntur tecta lycei, quae prope coeruleis labitur Albis aquis. Hi, qui Cymmeriis ſacra rurſum exemta tenebris, inuito, nobis reſtituere, papae: hac in praeſtanti requieſcunt urbe ſepulti, ultimus aethereo dum ruit axe dies. Parua domus uiduae, ua-

 tem

(b) Iure Publ. cap. 19. p. 663. (c) Coſmographia, quae Marpurgi 1619. in 4to prodiit. lib. 4. p. 429.

tem quae pauit Eliam, uix bene Sidonio littore nota fuit; inde tamen late diuini ſemina uerbi, auſpice, per populos ſparſa fuere, Deo. Sic patriam Senones ubi ſedem habuere uetuſti, quae nunc Saxonica ſubdita terra Duci, urbs non magna quidem gelida Viteberga ſub arcto adiacet ad ripas, Albi uadoſe, tuas. Hinc tamen extremi ſub turbida tempora mundi lux Euangelii ſuſtulit, orta, iubar, claraque, diuino radios augente fauore, per multas paſſim lucet in orbe plagas.

VII. Hanc animarum ex Vitemberga ad omnes gentes propagatam culturam curamque, haec aeternae praeſidia ſalutis, merito academiae noſtrae in acceptum referre debemus. Largiores pariter fructus in ciuitatem ciuesque Vitembergenſes redundarunt, qui hinc moratiores, probiores, prudentiores & ditiores redditi, maiorem aedificiis nouis conſtruendis, antiquis emendandis, ſordibus e ciuitate remouendis, agris hortisque colendis, operam, ſedulitatem, ac ſumtus nauando, impendendo, commoda commodis, emolumenta emolumentis auxerunt. Aliam hoc modo Vitemberga faciem adepta, non in Germania modo, ſed locis etiam remotioribus, uno omnium bonorum ore ſermoneque celebrata percrebuit. Obtinebat tamen Vitemberga noſtra, iam ante conditam academiam, ea, quae uitae ſuſtentandae, atque integrae corporis diſpoſitioni defendendae neceſſaria erant ſubſidia. Cum uero inter eadem aer tenuis, ſerenus, ac peregrinis & noxiis particulis liber primum ſibi uindicet locum, loco noſtro magnam prae multis aliis ciuitatibus praerogatiuam, aeris noſtri puritatem ac ſimplicitatem reſpicientes, merito adiudicare poſſumus. Aerem Vitemberga per ſe ſerenum ac tenuem, de bona terrae & aquarum indole participantem, obtinet; qualis

enim

enim terra & aqua, talia hinc, quae aeri inſinuantur, & magnam aeris partem conſtituunt, effluuia, terra uero circa Vitembergam ſabuloſa & pura, aqua fluens & defecatiſſima, unde neceſſario aer optima quaeque ex terra & aqua recipiens, optimae debet naturae & conſtitutionis eſſe. Nulli circa Vitembergam adſunt montes, nullae ſpeluncae & lacunae, liberam aeris agitationem impedientes, plana & aperta ſunt omnia. Exinde, nec exceſſiua, aeſtatis tempore, ſiccitate & calore torremur & diſſoluimur, nec uehemens frigus conſtrictos, torpentes, aut coactos tenet artus & humores, ſed amica fere quouis tempore tempeſtas, temporibus anni congrua, obſeruatur, cum decurrentes per ciuitatem riui, eamque alluens fluuius, nimiam ſiccitatem a calidiore terrae ſabuloſae & copioſarum pyritum exhalatione metuendam mitigent. Quo maior uero aeris ad uitae & ſanitatis conſeruationem neceſſitas, (tanta nempe, ut eodem, a primo uitae noſtrae exordio, ne per momentum quidem, absque ſuffocationis periculo, carere queamus,) eo praeſentius ac praeſtantius idem bene conſtitutus, conſtituit ſanitatis praeſidium; cum contra aer corruptus, corrupto cibo longe pernicioſior, pernicioſiſſimum praeſentiſſimi effectus uenenum ſit, utpote qui, non uniuerſum duntaxat corpus externe ambit afficitque, ſed per tot quoque receſſus, per nares, os, pulmones, oeſophagum, ad intima corporis uiſcera & ſuccos penetrans, maximas derepente producit mutationes. Eſt ita aer mortalibus uitae ac ſanitatis auctor, eſt idem quoque frequens multorum morborum cauſa & ſcaturigo. Optimum bonae indolis aerem, ſanitatis defenſioni apprime fauentem, SENNERTVS (d) & PARAEVS (e) eſſe dicunt, qui temperatus,

(d) Inſtit Med. lib. 4. part. 1. cap. 2. & lib. 4. Part. 2. cap. 1. (e) Introduct. ad Chirurg. cap. 13.

tus, purus, nullis ſordibus & putridis effluuiis inquinatus, ſerenus, & lenibus ſuauiter ſpirantium uentorum flatibus agitatus, in omnem partem liber & patens, quique ſalubribus interdum pluuiis irrigatus, ab omni cadaueroſa caeſorum animantium, aliarumque rerum putreſcentium exhalatione, atque a ſtagnis, paludibus, & cauernis, graue tetrumque ſpirantibus, quam longiſſime remotus, nec nimia tenuitate aut grauitate, aliaque manifeſtae corruptionis nota generi humano moleſtus & inimicus exiſtit. Quocunque iam mentis tuae oculos, in oppidi noſtri & locorum illi uicinorum examine dirigas, plura inuenies ſubſidia, quae optimam aeris conſtitutionem tuendo, omne in ſanitatis defenſione ferunt punctum. Hanc certiſſimam & ueriſſimam cauſam eſſe arbitror, cur Vitemberga noſtra nullos habeat, nullos alat ac foueat morbos endemios, quales plures, his illisue regionibus ac ciuitatibus familiares ac proprii, uulgo etiam noti ſunt. Nam, licet hoc, quod iam remoueo, uitium, Athenis noſtris alias imputatum fuerit, & adhuc imputetur, omni tamen hanc ſententiam fundamento ac fide deſtitutam eſſe, ſequentibus, ſingularia, Vitembergae dicta conuitia, ab incertis deſumta exemplis, remoturus, demonſtrabo. Minime uero aſſeuerare audeo, quod aer nullis Vitembergae mutationibus ſit obnoxius, hae enim ubique locorum, ex cauſis, terrarum orbi communibus, atque a ſole maximam partem arceſſendis, eueniunt; hoc ſaltem moneo, hoc urgeo, quod in Vitemberga, & circa Vitembergam, nihil occurrat, quod aeris corruptionem, feraciſſimam multorum morborum ſcaturiginem, producat. Sententiae huius certitudo & ueritas ex antecedentibus liquet partim, partim eandem innumeris infirmorum ac miſere conſtitutorum homi-

num

num exemplis confirmare poſſum, qui, ad nos accedentes, cum antea in patrio ſolo aduerſa perpetuo afflicti ualetudine, nullum ab exacta uictus uiuendique ratione, nullum a remediis optimis, ſtatui eorum & cauſae morbi accommodatiſſimis, emolumentum perceperint, ſola aeris patrii cum noſtro mutatione, adeoque ſolo aeris noſtri ſaluberrimi uſu, integram recuperarunt ſanitatem. Hunc autem effectum, diu iam a miſeris aegrotis deſideratum, bonae aeris noſtri diſpoſitioni, minime uero aliis cauſis, adſcribendum eſſe, ex eo manifeſtum certumque reddebatur, dum alii in patriam, abſoluto ſtudiorum ſuorum curſu, reuerſi, nouum priorum incommodorum, a quibus apud nos liberi fuerant, impulſum ac concurſum experiebantur, alii integra praediti ualetudine noſtris Athenis ualedicentes, & Halenſem, uel Helmſtadienſem, uel Lipſienſem, uel Ienenſem adeuntes Academiam, omne tempus uariis grauiter afflicti morbis, miſera ibi tranſigebant ratione, nec priſtinam ſanitatem recuperabant prius, quam aliis locis cum Vitemberga denuo commutatis, uti pluribus edoctus exemplis idem exacte cognitum perſpectumque habeo. Seruiunt haec exempla confirmando axiomati HIPPOCRATIS, (f) monentis ac ſuadentis, ut in diuturnis morbis mutatio aeris ac regionis ſuſcipiatur, γῆν μεταμείβειν, ſunt eiusdem uerba, σύμφορον, ἐπὶ τοῖσι μακροῖσι νουσήμασιν. Quemadmodum uero aer ſincerus omnique labis aſperſione immunis ex aequo omni uiuentium generi conducit, ita praecipuum ſanitatis praeſidium, in bona aeris noſtri, ad ualetudinem tuendam, morboſque praecauendos, & curandos, maxime conferentis, conſtitutione repoſitum habemus.

VIII. Vnitis iam omnium ſapientum ſuffragiis con-

D ſtat,

(f) lib. Epidem. 6. conf. Sponius nou. aphor. Sect. 4. §. 82. p. 278.

ſtat, quod tanta inter aerem & aquam communitas & communicatio intercedat, ut aer multiplici ab aqua modo mutetur, & aer uarias uiciſſim in aqua mutationes producat. Quid itaque, his euictis & in aprico poſitis, certius, quam certum, quod optima aquae noſtrae puriſſimae & limpidiſſimae indoles nobis affatim praebet, ſanitatis praeſidium, ac morborum remedium? Non is ſum, qui unam eandemque aquam omnibus utilem eſſe, puto; nec omnibus aquam, tanquam infallibile omnis morbi remedium commendo; aliis uinum prodeſt, aqua aliis; hi ex pinguioris, illi ex tenuioris uſu cereuiſiae recte ualent. Diuerſam etiam aquae, pro diſcrepante locorum, ex quibus ſcaturiunt, & per quae tranſeunt, conſtitutione, naturam ac uirtutem obtinentes, uarios in diſcrepantibus ſubiectis effectus edunt. Aqua tamen bene conſtituta, limpida ſcilicet, ſimplex, omni noxiarum particularum connubio deſtituta, qualis noſtra, certum ac praeſentiſſimum caloris, ſitis, ſiccitatis, & acrimoniae auxilium eſt. Optimum, inter terrena, aqua, *ἄριστον μὲν ὕδωρ*, mox initio ſuorum poematum exclamat Pindarus. Thales, & quem deinceps ſecutus fuit Helmontius, omnia ex aqua generari, omniaque in aquam denuo reduci, affirmabat. Eandem ſententiam HIPPOCRATES (g) fouet, aquae, omnes res conſtituenti, nutrienti, principium mouens, ignem nimirum, quem chymicae addicti ſcholae, ſulphur uocant, adiungens, *ξυνίσαται*; ſcribit idem, *τὰ ζῶα, τά τε ἄλλα πάντα, καὶ ὁ ἄνθρωπος, ἀπὸ δυοῖν, διαφόροις μὲν τὴν δύναμιν, συμφόροις δὲ τὴν χρῆσιν, πυρὸς λέγω, καὶ ὕδατος· τὸ μὲν δύναται πάντα διὰ παντὸς κινῆσαι, τὸ δὲ ὕδωρ πάντα διὰ παντὸς τρέψαι.* Licet uero hoc Hippocratis

(g) de diaeta lib. I. conf. Sponius nou. aphor. Sect. I. §. 15. & 16. p. 10 & 11.

cratis ſcitum meum non faciam, hoc tamen omnium prudentum ac peritorum philoſophorum & medicorum conſenſu conſtat, quod aqua maximam ſanguinis, a cuius circulo uita & ſanitas dependet, partem conſtituat; quod aqua ſit nutrimenti, omnium partium integritati proſpicientis, atque excrementi e corpore euehendi, uehiculum; quod aqua omnium, quotquot in humano corpore reperiuntur, ſuccorum fundamentum exiſtat; quod aqua ſuccis craſſis diluendis, tenuibus atque acribus implicandis & temperandis ſeruiat; quod aqua fibras aridas & nimis compactas, remolliat, lubricet, nutriat; quod aqua uiſcera obſtructosque uaſorum poros penetret, aperiat, aperta ſeruet; quod aqua iucundiſſimum ſitis, mali, quo maius & grauius non proſtat, remedium praebeat; quod aqua citiſſime aeſtum, ac uehementem humorum uitalium agitationem ac motum compeſcat, febresque continuas tollat. Carendo ſane, quantum ſit bonum, bona aqua, diſcimus atque intelligimus. Darius in fuga, uti refert CICERO, (h) cum aquam turbidam, putidam & cadaueribus inquinatam, atque hinc abominandam, bibiſſet, negauit, unquam ſe bibiſſe iucundius, nunquam uidelicet ſitiens biberat. Si igitur homines ex uirtutis praeceptis uitam agentes, naturae ſitique congruenter morem gererent, ſola certe aqua, eaque ſingulari cuiusuis corporis conſtitutioni congrua, quales aquas obtinet & ſuggerit Vitemberga noſtra, ordinarii loco potus, acquieſcere poſſemus, uinum uinorumque diuerſa genera medendis morbis reſeruantes, adhibentes, accommodantes. Infiniti ſunt populi, teſte PROSPERO ALPINO, (i) tum in Africa, tum in Aſia, ſola pro potu a-

 qua

(h) Oper. edit. cit. Tuſcul. Quaeſt. lib. 5. p. 265. G. (i) Tract. de med. Aegypt. l. 1. cap. 11. & 12.

qua contenti, qui rectiſſime ualentes, corpora robuſta, optimis ſuccis referta, ac bono ſolidorum habitu inſtructa poſſident. Demoſthenes, egregius orator & philoſophus, ſimplici aqua, nullo alio uſus potulento, ad ſummam, teſte ATHENAEO, (k) ſenectutem, integris peruenit uiribus. Idem de Epicuro LAERTIVS (l) & GASSENDVS (m) referunt. Perſis, repudiato omni alio potulento, aquam ſimplicem in deliciis fuiſſe, ex XENOPHONTE (n) conſtat, qui ſequentibus eorum uictum uictusque rationem deſcribit: adferunt domo panes ad cibum, naſturtium uero ad obſonium, itemque ampullam, ut, ſi quis ſitiat, e praeterfluente hauriat. Conſidera, ut innumera alia recentiorum exempla reticeam, Andream Tiraquellum, Iureconſultum, quadraginta quinque auctorem librorum, liberorumque totidem parentem, quem ſola ſimplici aqua, ordinarii loco potus, ſuſtentatum, plane ſenem obiiſſe, & animo ſemper placido ac ſereno tranquillitatem quandam, ac benignam ualetudinis temperiem in omni uita conſtantiſſime retinuiſſe, neque temere ira, aut quauis alia grauiori perturbatione uiſum commoueri, SCAEVOLA SAMARTHANVS (o) teſtatur. Pluribus hinc rationis atque experientiae teſtimoniis commotus, nullus dubito calculum meum ſententiae CARDANI (p) addere, perhibentis, & allatorum copia exemplorum confirmantis, quod aqua limpida & pura, certiſſimum & optimum obtinendae longaeuitatis, infirmitatibus liberae, ſit praeſidium. Reſpicite haec, haec, quaeſo, attendite, iniqui inſontis Vitembergae obtrectatores, atque aquarum puriſſimarum & fontium

(k) Dipnoſoph. l. 2. cap. 6. (l) Epiſt. Epicuri, quae apud Laertium l. 10. extat. (m) lib. 6. de uita & moribus Epicuri. (n) in Paedia Cyri lib. 1. (o) in Vita Tiraquelli p. 31. (p) lib. de aqua, p. 17.

um ſalutarium, quibus abundat ciuitas noſtra, naturam & principia examinantes, & cum allegatis rationibus, experimentis atque exemplis conferentes, ueſtrum, idque improbum & iniuſtum, de Leucorea noſtra iudicium mutate, deponite, abiicite. Eadem, & uos, o ciues & incolae huius loci, aduertere ac perpendere decet, qui gulae quaerentes delicias, ingratorum more Iſraelitarum, exterorum deſiderio uinorum & cereuiſiarum incitati, adeo graues de accommodati apud nos potus defectu atque abſentia, querelas affertis. Ad legem naturae reuertamur, panem & aquam natura deſiderat, his bona humorum neruorumque diſpoſitio defenditur, his mentis tranquillitas conſeruatur, his longaeuitas comparatur. Ageſilaus, teſte PLVTARCHO, (q) expreſſis dicebat uerbis, eos, qui uirtutem colant, non admittere gulae delicias. Vnde idem per agrum Thaſiorum cum exercitu tranſiens, allata ab iisdem bellaria & potulenta delicata, tanquam ſibi ſuisque inutilia & noxia, reddens, ſolam farinam retinuit. Ab his noſtrorum mores plane abhorrent, quos, ſi ingratos nomino, nomen meritis eorum dignum & iuſtum impono, cum iidem neceſſaria & maxime proficua ante pedes poſita aſpernantes, ſuperflua, nullique ſibi uſui, detrimento potius, futura, quaerant. Sed nihil aeque gratum eſt adeptis, quam concupiſcentibus, & alienum nobis, noſtrum plus aliis placet. Ita nec aliter idem cum aquis, & cereuiſiis, quae Vitembergae ſcaturiunt & coquuntur, comparatum eſt, ſi eaedem aliunde aſportatae, nobis cum ſignificatione & obteſtatione emolumenti, & ſanitatis hinc certo ſperandae, offerrentur, nullae profecto praeſtantiores forent, eaeque ipſis panaceis decantatis praeponerentur. Aquarum noſtrarum

(q) Apophthegmatibus p. 210.

indolem ac principia ſi perquiras, easdem uel tenuiſſimas ac puriſſimas, omnis ſaporis, omnis odoris expertes, uel aliquantulum nitroſas, ualde refrigerantes, ſiti ſedandae commodiſſimas, quasuis tamen peraeque limpidas, inuenies, quae a riuulis puriſſimis per machinas hydragogas deductae, omnium uſui ſeruiunt, omnibusque domibus abunde proſpiciunt. Proſtant quoque apud nos aquae fontanae, quae per terrae uenas diſcurrentes puteis hunc in finem conſtructis excipiuntur, & in ſcatebras erumpentes fontibus dant originem, inter quos, nonnulli egregia temperandi aeſtumque ſedandi uirtute celebres, ad continuarum medelam febrium, felici frequenter adhibiti ſucceſſu, commendantur. Pleraeque uero, quas Vitemberga noſtra poſſidet, aquae, ex ſublimibus locis & terrae tumulis, ad ſolis ortum ortae, profluunt, ac per arenam ſaxaque puriſſima decurrentes, ſua nobis ſiſtuntur puritate atque integritate. Tales aquas maxime ſalutares, morbisque medendis congruas ac pares pronunciat HIPPOCRATES, (r) hiſce uſus: *τὰ ὕδατα ἄριστα, ὁκόσα ἐκ μετεώρων χωρίων ῥέει, καὶ λόφων γεηρῶν, μάλιστα δὲ, ὧν τὰ ῥεύματα πρὸς τὰς ἀνατολὰς τοῦ ἡλίου ἐρρώγασι, καὶ μᾶλλον πρὸς θερινάς.* Hae enim, pergit idem, antecedentia explicaturus, dulces ſunt, & clarae, modicumque uinum ferre queunt, per hyemem calidae, per aeſtatem frigidae, tales enim ex profundiſſimis fontibus proueniunt. Quid igitur dicam de fonte Lutheri decantatiſſimo? Praeſtantiſſimam eſſe huius fontis aquam, omnes, qui primis eandem deguſtarunt labris, quique ſalutarem illius uirtutem experti fuerunt, ingenue fatentur. Debilioris conſtitutionis hominibus haec aqua apprime conducit. Haud leue

(r) lib. de acre, locis & aquis. conf. Sponius aphor. nou. Sect. 4. §. 29. p. 230. & 231.

leue pariter leuamen, imo auxilium eadem iis, qui arthritide & calculo laborant, praeſtat, uti huiusmodi aegrotorum exemplis conuictus certe ſcio. Enim uero, quia fons iſte nobis uicinus, ac cuiuis noſtratum obuius patet, negligitur, nihili aeſtimatur. Longe maiorem fontis huius dignitatem & honorem apud nos futurum credo, ſi aquae, quas ſtillat, ſalutiferae, ex Pyrmontenſi, uel Sualbacenſi, uel Egrenſi regione ad nos aſportatae laudarentur; cum autem eaedem ex uicinia Vitembergae ortum ducant, idem illis, quod Nazarenis obiiciebatur, obiicitur. Non procul ab hoc fonte, medio Septentrionalis plagae loco, ad collis, quem noſtrates *Piek Berg* dicunt, radicem, riuus, uera diuinae beneficentiae imago, inter amoeniſſimam, quam arbores praebent, umbram, leni decurrens ſuſurru, claras pureque cryſtallinas & dulces elargitur aquas, continuo effluentes fluxu, & ſuaui quodam murmure ad proxima feſtinantes loca. Mentis meae corporisque uires, ſtudiis, lucubrationibus & moerore fractas, fereque exhauſtas, refocillaturus, illum multoties adii riuum, eique, defixis in eundem oculis ac cogitationibus, diu attonitus aſſedi, ſedulo obſeruans, nec hominem ullum, imo ne brutum quidem, quod purae illius & ſaluberrimae aquae fructum perciperet, me excepto, adeſſe. Hinc domum diſcedens, Siſyphios denuo aggreſſurus labores, hauſtis, quae tantopere animum meum oblectarant, aquis, miram ſaporis gratiam, miramque mentis & corporis recreationem, uiriumque reſtaurationem animaduerti, ſatis eſſe ducens, deficientibus aliis, qui hac aqua fruantur, obuio cuique hunc laticem patere, ita, ut haurire poſſit, qui uolet, libere. Similis inter occidentem & ſeptentrionem riuus profluens piſces ſaxatiles delicatiſſimos alit, ſinuque ſuo complectitur. Huic pro-

xime,

xime, ſi paululum adhuc uerſus occidentem progrediaris, adiacet ſcaturigo e terra rubra & ſabuloſa prodiens, quae aquam limpidam, ſubſalſam, leniter adſtringentem, acidulis ſapore effectuque aperiente & laxante ſimilem, praebet. Tot diuerſis, omnibus tamen bona indole, ſi diſcrepantem hominum conſtitutionem reſpicias, praeditis aquis ubique cincta, & intus tota referta eſt Vitemberga noſtra, quo quiuis ex allegatis aquis potum ſibi proficuum atque accommodatum ſeligere, ſelectum, ea, qua decet, quantitate, congruo tempore haurire poſſit. Poteſt etiam hinc quiuis remedia diluentia, refrigerantia, temperantia, aperientia, nutrientia, ac congrua parandorum infuſorum menſtrua, aliorumque medicamentorum uehicula repetere, obſeruatis exacte, quae circa aquarum uſum Hippocrates dedit, monitis ac praeceptis. Illi hoc modo, quibus tardior ac difficilior alui excretio moleſtiam creat, aquis dulcibus ac limpidis utantur, *ὁκόσων*, eſt regula HIPPOCRATIS, (s) *αἱ κοιλίαι σκληραὶ εἰσι, τουτέοισι μὲν τὰ ὕδατα γλυκύτατα ξυμφέρει, καὶ κουφότατα, καὶ λαμπρότατα.* Aliis opus eſt aquis, aliaeque iis conueniunt, qui frequentiorem aluinam excretionem, diarrhoeae ſimilem, experiuntur; illis quippe utilis & congrua aqua leniter adſtringens, martialibus imbuta particulis, quam ſequentibus in allegato caſu Cous (t) noſter commendat: *ὁκόσων αἱ κοιλίαι μαλθακαὶ καὶ φλεγματώδεες, τούτοισι τὰ ὕδατα σκληρότατα, καὶ ἀτεραμνότατα, καὶ ὑφαλικά.* Hac methodo in aliis morbis, aliisque tot hominum conſtitutionibus, in aquarum his illisue proficuarum electione, procedendum. Et certe, ſi in genere aqua frigida, ad curandam febrem, a uini abuſu contractam, prodeſt,

(s) lib. de aere loc. & aquis conf. Sponius l. c. S. 4. §. 228. (t) lib. cit. conf. Sponius l. & Sect. cit. §. 27. p. 229.

prodeſt, uti Caſſii experimento, quod notauit CELSVS, (u) docemur, eo magis hanc uirtutem aquis noſtris fontanis, puriori & ſubtiliori ſaturatis nitro, tribuere poſſumus, quarum ſalutarem uſum multoties in continuarum cura febrium expertus fui. Minime uero eandem frigidam ac copioſam decet ingerere, nec in omnibus eadem conducit febribus, non poſſum, ait PALMARIVS, (x) eorum ſententiam probare, qui urgente ſiti & aeſtu, frigidam affatim & plenis calicibus, peſte correptis, ad ſatietatem usque exhibendam cenſent, nam & ſudoris ſecretio inhibetur, ac uis cordis ueneno morbi iam attrita, immodico frigidae aquae potu ſic infringitur, ut breui prorſus deficiat atque extinguatur. Illud quoque, ex ſententia CELSI, (y) noſſe oportet, quod ex labore ſudanti, frigida potio pernicioſiſſima ſit, atque etiam, cum ſudor remiſit, itinere fatigatis. Tutiſſimum igitur erit, uel aquas calore aliquantulum temperatas, uel ex iisdem paratas ptiſanas, infuſa ac decocta haurire. Ad paranda uero Theae & Coffeae infuſa, ſimplicior, quae ex riuis per canales, quibusuis fere domibus propria, communicatur, adhibenda, quo natiua, quam hae herbae fabaeque obtinent, ſaporis gratia, peregrinarum farragine particularum, quas multae aquae ſecum uehunt, minus adulteretur. Hoc quippe mihi Lipſiae haud raro euenit, ubi hauſto Theae uel Coffeae infuſo, cum idem palato diſpliceret, herbam inſontem, inſontesque accuſaui fabas, cauſa in aquis, quas minus limpidas puraſque Lipſiae deprehendimus, conſiſtente; etenim praeſtantior illorum fons, quem a mendicis, *den Bettel Brunnen*, uocant, ac cuius aquas tanquam puritate excellentes aliis praefe-

 runt,

(u) lib. de med. in Praefat. p. 19. (x) Lib. de Septem morb. contag. l. 1. cap. 16. (y) lib. 1. cap. 3.

runt, cum abiectiſſimo noſtrorum fontium ac riuorum minime comparandus eſt.

IX. Abiectum, obiicient denuo Vitembergae calumniatores, ſanitatis praeſidium, aquam ſcilicet, a me commendari; uina, uinoſi clamabunt heluones, bibant homines, cetera animantia fontes; cereuiſiam bonae indolis deſiderabunt alii; aliis & uinum, & cereuiſia, & aqua minus arridebit, iique dubia diſtracti mente, quo ſe uertant, omnibus abutendo, ignorabunt, exclamantes: *trinck ich Waſſer, ſo heng ich das Maul, trinck ich Bier, ſo werd ich faul, trinck ich Wein, ſo werd ich voll, ich weiß nicht, was ich trincken ſoll.* Prae aliis liquoribus, multis cereuiſia, uel aqua, ordinarii loco potus, arridebit, de noſtris uero, tanquam noxiis, maxime conquerentur, affirmantes, ſe ex aquarum & cereuiſiarum Vitembergenſium uſu, in uentriculi imbecillitatem, appetitum proſtratum, tumorem, dolorem, alui conſtipationem, difficilem reſpirationem, paſſionem colicam, aliaque mala incidiſſe; aſt, hic uſui adſcribitur, quod abuſui imputandum, copia quippe ingurgitati potus, & neglectus aquarum, quae apud nos diuerſae proſtant, ſelectus, non ipſa earum indoles, accuſanda ſunt. Qui exoptato fructu, aquae potui uult aſſueſcere, primum conſtitutioni ſuae accommodatam, uti antecedentibus monui, eligat, electam parca quantitate, &, nonniſi urgente ſiti, bibat, nec ſtimulantibus & acribus remediis, maſticatoriis nempe, aut herbae nicotianae abuſu ſitim irritet & laceſſat. Has cautelas illis pariter commendamus, atque obſeruandas iniungimus, qui aquae uſum auerſantes, cereuiſiae delectantur potu. Duas cereuiſiarum Vitembergae coctarum ſpecies habemus, alteram ſaturatiorem, pinguiorem, & dulcem, quae *Kuckuk* uocatur, tenuiorem atque amaram alteram, quae *Tiſch-*

Bier

Bier nominatur. Aſperioribus Poeta apud ANTONIVM NIGRVM (z) uerbis cereuiſias harumque uires perſtringit, ſequentibus cereuiſiae potatores irridens & contemnens: *τίς πόθεν εἷς Διόνυσε, μὰ γὰρ τὸν ἀληθέα Βάκχον οὐ σ' ἐπιγιγνώσκω· τὸν Διὸς οἶδα μόνον, κεῖνος νέκταρ ὄδωδε, σὺ δὲ τράγου· ἦ ῥά σε κέλτοι τῇ πενίῃ βοτρύων τεῦξαν ἀπ' ἀσταχύων; τῷ σε χρὴ καλέειν Δημήτριον, οὐ Διόνυσον, προγενῆ μᾶλλον, καὶ βρόμον οὐ βρόμιον.* Quaeuis hac ratione cereuiſia, ex citata Poetae ſententia, abiectum & uile eſſet potulentum, quo contemtius non detur. Non omnes cereuiſias, ſed Vitembergenſem ſaltem, BEHRENSIVS (a) deſpicit & reiicit, eiusque, tanquam noxiae, uſum plane repudiat, cereuiſia Vitembergenſis, ait, incolis *Kuckuk* dicta, propter aquas inſalubres, impura ualde & flatulenta eſt, atque, in parua licet doſi, aſſumta, grauiter inebriat. Idem fere de cereuiſiae Vitembergenſis natura effectuque iudicium fert IONSTONVS, (b) perhibens, eandem earundem cum Rhenana male cocta uirium, id eſt, nihili eſſe. Nihili uero utriusque auctoris aeſtimandum iudicium, alter enim nullam ſuae ſententiae rationem, alter ſpuriam ac rei naturae contrariam allegat cauſam. Cum praeterea, utriusque auctoris ſcitum, non propria experientia, ſed aliorum, quibus Vitemberga, ex priuato odio, exoſa erat, relatione nitatur, maiorem fidem IOANNIS PLACOTOMI, (c) Profeſſoris Regiomontani teſtimonio tribuendam iudico, qui ad propriam prouocans experientiam, haec de cereuiſia Vitembergenſi refert: non poſſum ſilentio cereuiſiam Vitembergen-

(z) Conſilio de tuenda ualetudine, Lipſiae in officina haeredum Valentini Papae 1558. in 8uo cap. de cibo & potu. (a) Select. diaetet. edit. cit. Sect. 3. cap. 4. §. 21. p. 358. (b) Idea Hygienes, lib. 1. cap. 3. art. 3. §. 4. no. 13. p. 323. ed. quae Ienae 1661. in 12mo prodiit. (c) Comment. in Eobani Heſſi tr. de tuenda ſanitate, qui Francofurti 1560. in 8uo ed. fol. 84. a.

bergenſem praeterire, qua multis annis, ſine corporis incommodo, familiariter uſus ſum. Quae, ſi talis eſt, qualis eſſe debet, omni culpa ac reprehenſione uacat. Quod, ſi cum aliis conferre libet, mediam quodammodo naturam habet inter hordeaceas tenues & plenas. Quod autem nunc degenerat, & tenuior uſitato bibitur, hoc cum omnibus fere commune habet. Tum temporis ſaturatior ſaltem cereuiſia, *Kuckuk* dicta, unde adhuc hodie, qui eandem in deliciis habent, *Kuckuks-Brüder* appellantur, nota erat, deinceps uero temperatior & tenuior, quam *Tiſch-Bier* nominant, in Studioſorum gratiam cocta & praeparata fuit. Habent ita Studioſi non diuerſas tantum, easque ſalutares Vitembergae aquas, ſed uariam quoque diſcrepantis naturae ac uirtutis cereuiſiam, quibus quiuis pro lubitu, ſuique corporis conſtitutione, cum fructu frui poteſt. Si etiam cereuiſia Vitembergenſis aliquod quandoque uitium habet, idem non aquae, ex qua paratur, nec ipſi per ſe cereuiſiae, ſed peruerſae ingredientium praeparationi, quantitati & coctioni adſcribendum eſt. Praecipue cereuiſia Vitembergenſis uirtutem abſtergentem atque aperientem, ab aqua, puriori nitro imbuta, quam ad coquendam cereuiſiam adhibent, deriuandam, obtinet. Hae uires maiori ueritatis & rationis ſuffragio, noſtrae cereuiſiae, quam raſtro Lipſienſi, tribui poſſunt, quod maxime alias ingratum, & ſanitati inimicum, hiſce nihilo ſecius rhythmis SECVRIVS (d) laudat: Lipſienſis niſi languores cereuiſia uentris elueret, grauior tibi dextra Galene rediret aere domum, plures, quos morbus haberet, haberes, uindicat innumeros morbos medicabile raſtrum. Miror omnino, cur Poeta non ſimul fecum raſtri, quarum maior in hoc negotio perficiendo,

(d) Epigram. Cent. quae Lipſiae 1626. in 12mo ed. epigr. 7.

ciendo, uirtus eſt, fecerit mentionem, & ſimul commendauerit, ebrietatem, ſanitatis ergo, Lipſienſi contrahendam raſtro, cuius miniſterio aluum per ſuperiora atque inferiora organa purgari, purgandamque eſſe, ſine dubio Securius ſecure credidit. Ne uero aliquid nobis deeſſe uideatur, ac ſuperflua, neceſſariorum ſpecie, nobis imponant, aliae quoque ex aliis ad nos locis cereuiſiae, Ileburgenſis nempe, Martisburgenſis, accerſuntur, quibus exoptato Torgauienſem fructu ſociandam exiſtimo, de qua citatus PLACOTOMVS, (e) Regiomonti, loco a Saxonia adeo diſſito uiuens, haecce ſcribit: trahit ſua quemque uoluptas, ut Poeta canit, neſcio igitur, utrum magis affectu aliquo, & peculiari quadam proprietate palati mei, an rationibus ad hanc cereuiſiam ferar, uidetur enim mihi inter omnes excellere, non quidem robore, ſed bonitate, egregie nutrit, boni ſucci eſt, nec ſolum alit, uerum etiam principalia membra corroborat, nam odorem & ſaporem aromaticum habet.

X. Vinum quoque, inter optima optimae indolis medicamenta relatum, quo omnibus ſanitati conſeruandae neceſſariis circumfluamus, Rhenanum ſcilicet, Moſellanum, Gallicum, Hiſpanicum, Vngaricum, aliaque iuſto uenalia pretio apud nos proſtant. Nam, cum Studioſi, qui noſtram adeunt ciuitatem, a diuerſis orbis terrarum locis prodeuntes, uariam educationem, uariamque uictus rationem a teneris habuerint, aliique eorum ſola aqua, alii aqua uino diluta, alii ſolo uino, alii hoc illoue uini genere ſuſtentati adoleuerint, neceſſitas ipſa horum omnium praeſentiam exigit. Eo maior uero a parciori ac rariori uini accommodati uſu in literatis utilitas expectanda, quo magis nos ad eundem adeo neceſſaria uirium lucubrationi-

(e) lib. cit. fol. 83. b.

brationibus & meditationibus exhauſtarum reparatio ſollicitat; generoſum quippe uinum, ex DODONAEI (f) obſeruatione, naturalem calorem refocillat, uentriculo prodeſt, languentem excitat appetitum, praeſentem tuetur, ciborum in chylum mutationem promouet, alimentum per corporis membra cito deducit ac diſtribuit, robur molemque corporis adauget, pituitam attenuat, bilioſa ac seroſa excrementa, per renes, accelerata adiutaque lotii ſecretione, educit, inſenſibili perſpirationi ac ſudoris excretioni opem fert, ſanguinem ſuppeditat puriorem, tenuiorem, bonum corporis colorem habitumque producit, ac prauum in meliorem commutat. Nullum datur in tota rerum natura uino accommodato gratius ac tutius remedium, ad motum ſanguinis languentem excitandum, excitatum conſeruandum; uinum, inquit HOFMANNVS, eſt uniuerſale euacuans, nam per aluum, urinam & ſudorem agit; eſt etiam optimum ſtomachicum, teſte enim ſacro codice, ad calorem & tonum uentriculi conducit, unde Paulus Timotheum uentriculi debilitate laborantem monet, ut mediocri uini uſu ſibi ſuisque uiribus proſpiciat. Vinum optimum eſt remedium aperiens, ſanguinem depurans, dum promoto ſanguinis motu, ac recluſis uaſorum poris, abundantes atque inutiles eliminantur particulae. Certe, ſi mortales ſcirent, quantae ac quam egregiae uires uino inſitae eſſent, non tam frequenter in morbos inciderent, neque tanta ingratorum medicamentorum medicorumque copia opus haberent. Felix, qui modico perfundit nectare muſas, Caſtalias quamuis Graecia laudet aquas. Felix, qui modicis indulgens hauſtibus, ignem ingenii uates ſuſcitat ipſe ſui. Hunc igitur, quem iam commemoraui, in finem, tot ac tam

(f) de Vitis uinique hiſtoria, cap. 6.

tam diuerſa uinorum genera ex uariis & longe diſſitis regionibus, ad noſtram ciuitatem, coemta aduehuntur, aſſeruantur, uenduntur. Summa uero ſobrietatis cura diſpiciendum, ne, quae nobis medicamenta debent eſſe, incitamenta libidinis euadant, aut optima ſanitatis praeſidia in peſſima peſſimo ac deteſtando abuſu uenena degenerent; uini enim, ſcribit FVCHSIVS, (g) immodici uſus, ingenii uires & animi uigorem eneruat ac hebetem reddit. PLATONIS (h) hinc legibus, horum omnium optime gnari, ſancitum erat, ut adoleſcens usque ad annum decimum octauum uino prorſus abſtineret, ab hoc usque ad trigeſimum annum, eodem moderate & prudenter uteretur, quadrageſimo uero liberius genio indulgeret, uti ſequentia illius uerba perſpicue declarant: ἆρ᾽ οὖν νομοθετήσομεν, πρῶτον μὲν τοὺς παῖδας μεχρὶς ἐτῶν ὀκτωκαίδεκα, τὸ παράπαν οἴνου μὴ γεύεσθαι, διδάσκοντες, ὡς οὐ χρὴ πῦρ ἐπὶ πῦρ ὀχετεύειν εἴς τε τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχὴν, πρὶν ἐπὶ τοὺς πόνους ἐγχειρεῖν πορεύεσθαι, τὴν ἐκμανῆ εὐλαβούμενοι ἕξιν τῶν νέων· μετὰ δὲ τοῦτο, οἴνου μὲν δεῖ γεύεσθαι τοῦ μετρίου μεχρὶ τριάκοντα ἐτῶν, μέθης δὲ καὶ πολυοινίας τὸ παράπαν νέους ἀπέχεσθαι· τεσσαράκοντα δὲ ἐπιβαίνοντα ἐτῶν, ἐν τοῖς ξυσσιτίοις εὐωχηθέντα καλεῖν τούς τε ἄλλους Θεοὺς καὶ δὴ, καὶ διόνυσον παρακαλεῖν εἰς τὴν τῶν πρεσβυτέρων τελετὴν ἅμα καὶ παιδίαν, ὃς τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις ἐπίκουρον τῆς τοῦ γήρως αὐστηρότητος ἐδωρήσατο τὸν οἶνον φάρμακον· ὥστε ἀνηβᾶν, ἡμᾶς καὶ δυσθυμίας λήθην γίγνεσθαι, μαλακώτερον ἐκ σκληροῦ τὸ τῆς ψυχῆς ἦθος, καθάπερ εἰς πῦρ σίδηρον ἐντεθέντα γιγνόμενον, καὶ οὕτως εὐπλαστότερον εἶναι. Vinum igitur eſt lac ſenum, remedium morborum a ſeroſa colluuie & neruorum laxitate ortorum, uenenum iuuenum plethoricorum, ingenii tardioris fomes ac ſtimulus, moeroris & peruigilii antidotus, modice & raro, ac quidem eo parcius, quo gene-

(g) Inſtitut. med. lib. 2. Sect. 2. cap. 10. (h) Lib. 2. de legibus.

generoſius, hauſtum, adde merum, canit TIBVLLVS, uinoque nouos compeſce dolores, occupet ut feſſi lumina uicta ſopor. Haec minime in heluonum, qui uini abuſu, ſani integritatem corporis perdunt, gratiam commemoro; generoſi uſus uini eſt, quem commendo; uinum, ut remedium, raro, quando conducit, adhibitum, laudo, minime uero, heluones peſſimi, peſſimos mores ueſtros approbo, qui eo usque uinum plenis ingurgitatis calicibus, donec idem, in terram proſtrati, uomitu denuo reiiciatis, ac ſuum inſtar, in ipſis, quas excreuiſtis, ſordibus turpiſſime prouoluti, atque iisdem ab omni parte imbuti & inquinati, brutis turpiſſimis turpiſſima uitae ratione praeſtare atque antecellere ſtudeatis. Nonne uobis neceſſaria, ſi Profeſſori iuſtum ac debitum pro collegiis didactrum, ac medico meritum pro medela ac medicamentis ſoſtrum perſoluendum, pecunia deficit? ſi uero corpus noxio uini ſuperflui potu onerandum, ſi eodem alii obruendi, ſi more Palatino bibitis, ne gutta ſuperſit, unde ſuam poſſit muſca leuare ſitim, dum abunde uobis ſuppetunt ſumtus, quo uinum ingurgitare, ingurgitatum uomitu reddere, reddito aſſeres muſei ueſtri, harae dicam, mundificare & abſtergere queatis. Irridebunt has meas caſtigationes heluones, tanquam inutiles & notiſſimas; una fidelia, perhibebunt, ſe duos poſſe parietes dealbare, corpus nempe ab inutilium onere excrementorum grato liberare remedio, ac deinceps languentes exſuſcitando cerebri ac neruorum uires, ingenio reliquisque animi facultatibus proſpicere, iuxta notum illud: quando bibo uinum, loquitur mea lingua latinum, cum bibo bis uel ter, ſum qualibet arte magiſter. Aſt peſſime omnino tum corpori tuo, tum menti conſulis; corporis integritatem magis abſtinentia, quam uinolentia defendes,

des, & ingenium uini uſu creſcit, uini contra abuſu hebeſcit, uti quotidie obuia ebriorum exempla probant. Data igitur tempore proſunt, & data non apto tempore uina nocent. Ne ſit igitur ante ſitim potus, nec cibus ante famem, ſi uis integram tibi, noſtraeque Vitembergae ſeruare famam, quae tui tuorumque ſimilium culpa haud raro in crimen uocatur.

XI. Eadem peraeque methodus, idem ordo, quem in aquae, cereuiſiae ac uini uſu approbaui, in ſolidorum quoque alimentorum, olerum, herbarum, radicum, fruticum, fructuum, carnis ferarum, animantium domi ſaginatorum, piſcium, quorum omnium maximam copiam Vitemberga poſſidet, uſu, obſeruandus, ſeruandus, ac tantum cibi, cuiusuis conſtitutioni accommodati adhibendum, ut peraequa inter humores, uaſaque, quibus uehuntur, proportione conſeruata, uires integrae defendantur, amiſſae reparentur, minime uero noxio ſuperfluorum onere opprimantur. In prouerbio Graecorum alias dicitur, δεῖ σιγᾶν, ὅταν παρέωσι κρείττονα, tacendum nempe eſt, cum adſunt praeſtantiora; ſilebimus ſane, omniaque lubenter ſilentio praetermittemus, ſi quis meliora iis, quae, ob copiam, Vitembergae familiarem, negligimus, nobis ſit exhibiturus. Egemus omnino, ad propagandam uitam, uitaeque actiones promouendas, & neruorum atque uniuerſi corporis robur tuendum, non fluidis modo, non potulentis duntaxat, ſed ſolida quoque requiruntur alimenta, in fluidum, chylum ſcilicet, mutanda, quo, illud, quod perpetuo, inſenſibilis ſenſibilisque forma perſpirationis, aliisque ſecretionibus, e corpore uel turmatim, uel ſucceſſiue, fluidis ſolidisque partibus ſubtractum ſecedit, reparandum; auelli quippe & a ſolidis ſolidas plane particulas, attritu fortiori ſolutas, obeſorum hominum contabeſcentia, frequenter eueniens, ſatis ſu-

perque probat. Breui hinc de noſtrorum integritate corporum, ipſaque actum eſſet uita, niſi illud, quod e machinis humanis continuo per uaria organa ſecedit fluxu, affluxu nouo, ac conſtanti ſimilium particularum, corpori denuo ſuppeditatarum, reparatione, reſtitueretur. Reſtituendis his, quae quotidie perdimus, abunde ſufficiunt ſanitatis uitaeque praeſidia, quae Vitemberga noſtra alit & fouet. Nec ſibi ſaltem ſuisque Leucorea noſtra ſufficit & ſatisfacit incolis, ſed ſuorum quoque emolumentorum uicinos pagos ac ciuitates participes reddit; quotidie quippe uarii generis radices eſculentae, quas apud nos, cum omnis generis oleribus, largiter ſuccreſcentes, ob ubertatem, faſtidimus, a noſtris coemtae colonis, Kembergam, Pretſchum, Coſuigam, & ad alia longius diſſita loca, abducuntur. Laetiſſimo herbarum aromaticarum prouentu, quae condiendis ſeruiunt cibis, omnia prata noſtra, omnes agri hortique noſtri adeo luxuriant & ſuperbiunt, ut exteris aromatibus plane non indigeamus. Maximam ferarum, uolucrium, animantium domi ſaginatorum, piſcium delicatiſſimorum, leporum in ſpecie, caprearum, ceruorum, alaudarum, turdorum, anſerum, gallinarum, boum, uitulorum, ouium, porcorum, luciorum, percarum, cancrorum, ſalmonum, fundulorum, mugilum barbatulorum, anguillarum, cobitidum aculeatarum, truttarum, carpionum copiam, atque in earum productione & ſagina, naturam arti conſpirantem, artisque opera anticipantem, apud nos conſpicis. Triticum, ſiligo, hordeum, auena, aliaque frumenta, puriſſima, lolio omni deſtituta, farinam, & optimos, modo rite parentur, panes, prabentia, noſtri, uicinique producunt agri. Leguminibus peraeque, piſis, lentibus, milio, item herbis, oleribus & radicibus, lactuca, braſſica, beta, petroſelino, na-

ſturtio,

ſturtio, omnes horti prataque adeo referta ſunt, ut hinc ſolum, quia facile facili uilique prorſus uenalia pretio proſtant, nobis uileſcant. Tribulos aquaticos, aliaque plura, non ad ſolita alimenta, ſed ad bellaria potius, ac gulae delicias, referenda, quae quotannis ad diuerſa a nobis mittuntur loca, ne quidem attingo. Haec profecto, aliaque grauioris momenti momenta Sereniſſimos ac Potentiſſimos huius Academiae Fundatores ac Nutritores perpetuos, egenis opitulaturos ſtudioſis, commouerunt, ſolemne Regio-Electorale conuictorium, octodecim complectens menſas, conſtituendi. Haec pariter diuerſos illuſtres, genere, uirtute atque eruditione uere nobiles uiros inflammarunt atque incitarunt, menſas gratuitas, gratis bene meritis & egentibus adiudicandas ſtudioſis, ſuis ſumtibus inſtituendi. Wolfframsdorffianum beneficium, cuius munificentia decem Studioſi optimo ac ſufficienti bis quotidie paſtu reficiuntur, non niſi deleta delebitur Vitemberga. Eadem laude perpetuaque dignum memoria nobile Nobilis de Mareſchall inſtitutum, cuius liberalitate & beneuolentia, decem pariter liberaliſſimo uictu aluntur alumni muſarum. Multas quidem & aſſiduas, de mala panis, carnis, aliorumque opſoniorum, quae apud nos uenalia proſtant, indole, querelas, non ſine iuſta animi commotione, frequenter audiui, ſed caueas, quaeſo, ne idem tibi, quod mihi euenit, eueniat, particulare cum uniuerſali, artemque ipſam cum artificum negligentia confundenti, & uitia indiuiduorum, omnibus reipublicae membris, ipſisque rebus optime conſtitutis iniuſte imputanti; nam, haud rarum eſt, illos, qui rebus imponunt pretia, pretiis ipſis frui, fructum reſiduorum, quae tanquam inutilia relinquunt atque auerſantur, aliis relinquendo. Perſaepe etiam opificum ſocordia, imperitia

atque auaritia, duris coercendae poenis,ſunt in culpa, culpa nulla, nulloque in rebus ipſis uitio ſubſiſtente. Ac, quomodo cauſa & origo huiusmodi malorum rebus ipſis tribui poteſt, cum optima nobis ſint paſcua, alendis ſaginandisque pluribus pecoribus abunde ſatisfacientia? Triticum praeterea, ſiligo, aliaque frumenta, quae aruum Vitembergenſe producit, omnis peregrinae & noxiae materiae expertia, & puriſſima, optimam farinam, ac praeſtantiſſimos panes, modo rite ac debita induſtria & cura conficiantur, praebent. Duriorem adhuc cenſuram meretur iſta hominum queribundorum imprudentia atque impudentia, qui ab Academia, eiusque ciuibus, annonae difficultatem, ac rei frumentariae, omnisque uictus, quo alimur ac ſuſtentamur, inopiam & caritatem plurimum excitari, credunt, aſſerentes: *Ja wenn die Univerſität nicht wäre, ſo wäre alles wohlfeiler.* Stupidi plane ac bardis blenniores eſtis, adeo peruerſe de ignotis ueſtroque intellectu ſuperioribus rebus iudicantes; magnum quidem, ſi rerum pretia reſpicias, inter priſcum ac praeſentem Vitembergae ſtatum intercedit diſcrimen, nec mihi ueteris Saxoniae monumenta euoluenti, ignotum, quod ante centum, imo ante octoaginta & ſexaginta annos, maxima fuerit omnis uictus uilitas ac facilitas, ita ut idem paucis nummis tunc emerint, pro quo plures nunc dioboli ſunt perſoluendi. Aſt, nonne tum temporis iam Vitembergae florebat Academia? nonne tum Academia plures, quam nunc, numerabat ciues? Aliae plane auctorum pretiorum ſunt cauſae, attendite mutationes ſucceſſiue introductas, ac praeſentem, qui in uniuerſa Germania, in tota Saxonia, in omnibus Saxoniae oppidis & pagis uiget, rerum ſtatum examinate, quam peruerſae, quam abſonae & iniuſtae ſint ueſtrae querelae, perſpicietis. E-

nim

nim uero haec ſemper ingratorum hominum conſuetudo fuit, eritque, ut illa, licet abiectiora ac deteriora, quae hinc abierunt, laudent magis, quam iſta, quae nunc exiſtunt, non quia, ſi eligendi facultas illis concederetur, ſemper illa habere mallent, ſed quia uſitatum hoc humanae mentis rationi repugnantis eſt uitium, praeterita, eaque, quae deſunt, ſuſpicere, laudare, ac ueneratione proſequi, repudiatis, ac calumnia affectis praeſentibus, ex quorum uſu praeſenti, praeſentiſſima percipimus emolumenta; quod ſequitur, fugimus, quod fugit, ſequimur ipſi. Quid erat, o ingrati! Vitemberga, ante conſtitutam academiam? unde maxima huius ciuitatis fama & gloria, quae per totum fere terrarum percrebuit orbem? unde tua, quae quotannis creuit, emendatio? Forſitan, ut manna & coturnices, ueſtris, qui otio & luxu diffluitis, manibus ſe ingerant, uel aſſatae uobis per uentos columbae ueniant, efflagitatis. Preces & labor, certa ſunt ſubſidia, quae omnem a uobis annonae difficultatem abarcent. Quoties rerum omnium copia inſtructi, publicas de ſumma frumentorum, aliorumque neceſſariorum alimentorum inopia, alia loca, eorumque incolas affligente, relationes legimus, audiuimus. Qua igitur ueritatis rerumque conuenientia Academiae, & ciuibus noſtris, a quibus maxima in hanc ciuitatem, & uos ipſos, emolumenta ac commoda redundant, annonae caritatem atque inopiam imputare poteſtis? Conſiderate, conſiderate, quaeſo, ciuitatum tam uobis uicinarum, quam a uobis diſſitarum conditiones? nonne in quamplurimis earum, carnes, olera, frumenta, legumina, aliaque uitae humanae ſubſidia, ac ſanitatis praeſidia, uel deſunt plane, eaque ex aliis locis, noſtraque imprimis ciuitate, moleſto conquiſita & coemta labore comparantur; uel tum caro, tum frumen-

tum, reliquaque, quae uitae humanae uſus requirit, tam caro, imo cariori adhuc, quam eadem Vitembergae in domos deportata obtinemus, conſtant pretio? Quid prodeſt? quid prodeſſet, inquam, adeo ſollicita tot agrorum hortorumque cultura? niſi confluente hominum, qui iisdem fruuntur, multitudine, ſuorum laborum fructum hortulani & agricolae hinc perciperent. Ciuitates quippe, quo magis ſedulorum piorumque copia ciuium florent, eo maius breui tempore incrementum capiunt. Rebus igitur omnibus, harum cauſis, incremento, decremento, facilitate, difficultate, abundantia, defectu, ad amuſſim ponderatis, unanimi omnes prudentes conſenſu agnoſcent, ac fatebuntur, quod, non hominum multitudo & frequentia, ſed neglectus ordo, improbitas, ſocordia, luxus, liuor, auaritia, in culpa ſint, nullo comperto crimine, quod iure meritoque Academiae noſtrae, noſtrisque ciuibus adſcribi poſſit. Quo omnis uero annonae difficultas atque inopia praecaueatur, remoueatur, fertilibus annis colligenda frumenta, quo ſterilibus annis, iisdem pariter abundemus; ſeuero cum propolis agendum iure, eorumque proteruia atque auaritia duris coercenda legibus; in monopolas grauiter animaduertendum, nullaque monopolia, in fraudem ac detrimentum hominum inuenta, toleranda; dardanarii, aliaque annonae flagella, uel e republica penitus proſcribenda, uel ſummo rigore eo adigenda, ut iuſto frumenta pretio uenalia ſiſtant, quo denegato, ui iisdem eripienda frumenta, atque in egenos, hiſce ſuſtentandos, eroganda; etenim, non frumenta Deus prauis dat muribus eſcam, ſed dat, ut auxilium ſint ea pauperibus. *Das Korn*, pium erat Philippi Primi Ducis Pomeraniae dictum, *iſt von unſern lieben Herren Gott nicht darum gegeben, daſs mans denen Mäuſen aufſchütten, ſondern*

dern daſs man denen armen Leuten damit zu Hülffe kommen ſoll. Verum haec ad uos, qui ad proram puppimque ſedetis, pertinent; uobis incumbit, ut maiorem ſalutis publicae rationem habentes, rerum priuatarum curae, curam publicarum, praeferatis.

XII. Ad uos redeo, Vitembergenſes, firmiſſime aſſeuerans, nullum uobis, quo egetis, mentis corporisque ſubſidium defuturum, ſi peſſima uitia, luxuriem, ſocordiam, auaritiam, quae ad nefanda homines maleficia maxime impellunt, ſemper fugiatis, pietatem contra, ſedulitatem, frugalitatem, ac beneficentiam, ueſtrarum moderatrices actionum habeatis. Perpauci uero homines intelligunt, quam magnum uectigal ſit parſimonia, parſimoniam in fundo ſeram, ſero, omnibus alea & luxu dilapidatis, exercentes; ratio enim quaeſtuum, & neceſſitas erogationum inter ſe debet congruere. Quid mirum, quod multi, qui minus parem acceptorum atque expenſorum rationem obſeruant, atque aureae regulas mediocritatis negligunt, ſumma afflicti paupertate, omni populo ſpectaculo ſint? Si magna penus, ex quotidianae teſtimonio experientiae, paruo ſpatio conſumta perit, quid de parua penu, longiori tempori, pluriumque ſuſtentationi hominum impendenda, dicendum? Decet itaque quemuis ſuo modulo ac pede metientem, huiusmodi acquieſcere cibo & potu, quem ſtati eiusdem reditus, ratioque acceptorum, ſine rei domeſticae iactura, ferunt; non enim uiuimus, ut edamus ac bibamus, ſed edimus & bibimus, ut uiuamus; unde, ex monito CICERONIS, (i) uictus cultusque corporis ad ualetudinem referantur, & ad uires, non ad uoluptatem. Si tuae opes, carnibus oſtreorum, ferarum, uinis generoſis, aliisque delicatis & pretioſis

(i) Libro I. de officiis.

tioſis potulentis atque eſculentis coemendis non ſufficiunt, bibas edasque, quibus per plures annos comparandis, facultates tuae pares ſunt, ac permanent, priſci, iique boni Patres familias dicebant: *man muß den Wein und Bier Zahn ausſchlagen*. Quid iidem dicerent, praeſentem praeſentium incolarum libidinem atque intemperantiam uidentes, ubi quiuis ex abiectiſſima & infima plebe, mores ſtudioſorum uiuendique genus imitans, quod iisdem *ſtudenticos leben* dicitur, genio ſuo indulget, infuſo Coffeae, Theae, uino, aliisque ſuperfluis, cum ſummo rei domeſticae detrimento, utitur. Non ea impia faſcinatus teneor perſuaſione, ac ſi allegatae fabae, herbae, ac uina, in diuitum ſaltem gratiam ab opifice ſummo creata eſſent; improbo ſaltem horum remediorum, quae ordinariorum loco potulentorum, adhibentur, abuſum, eoque iuſtiorem, hunc repudiandi, damnandi, cauſam inuenio, quo plures in pratis, hortis, & agris noſtris, herbae, exotica Thea longe praeſtantiores, betonica ſcilicet, ueronica, agrimonia, millefolium, ſcabioſa, malua, ut reliquas innumeras taceam, ſuccreſcunt, gratis, ſine ullo ſumtu, facili labore, acquirendae, comparandae, & prudenter, ut medicamenta, uſurpandae. Non hinc Thea ſaltem exotica, ſed multis etiam aliis peregrinis rebus, inter quae aromata, promiſcue adhibita, maxime pernicioſa iudico, optimo corporum noſtrorum & rei familiaris fructu, carere poſſemus. Non per ſe noxia ſunt aromata, generoſiora quippe remedia reſoluentia, ſed abuſus pariter eſt, quo eadem quibusuis cibis condiendis, etiam mendicorum, non ſine leui ſanitatis labe, addita, pernicioſa euadunt. Examinate modo aromatum principia ac uires, eadem certe dentibus attrita, ac ſufficienti maſticatione comminuta ac ſoluta, ignei ſenſum ardoris, linguae, palato, ac reliquis oris & faucium par-

tibus imprimunt, impreſſum, uix uberiori diluendum & delendum potu, relinquunt. Non immerito igitur, ſi hunc reſpicias & perpendas effectum, aromata ignes Indicos, corporum noſtrorum conſtitutioni aduerſos, qui, uarios accerſendo morbos, horumque cauſas & ſemina pedetentim augendo & exaſperando, uitae noſtrae dies accelerant, appellare potes. Qualis uero, hic iterum gulae mancipia excipient, alimentorum aromatibus deſtitutorum ſapor? optimus ſane, ex guſtus mei uoto, modo genuinum cibi condimentum, fames nempe, & uentriculus bene conſtitutus adſit. Si praeterea alia adhuc condimenta deſideras, ſal culinare, ſaluiam, maioranam, ſerpillum, thymum, origanum, baſilicum, artemiſiam, aliasque plures herbas, aromatibus Indicis longe ſuauiores & temperatiores, noſtrorum humorum atque organorum diſpoſitioni & naturae accommodatiores, urgente adhibendas neceſſitate, tibi commendo. Iisdem, inquam, monente atque efflagitante eorum uſum corporis tui conſtitutione, ut remediis, utaris; nec eadem aromata, licet indigena, omnibus ſunt congrua atque utilia, ſed iis ſaltem, quibus ſerum abundans & neruorum laxitas, morbos ex aquoſorum accumulatione & congeſtione humorum metuendos minatur, tempeſtiue adhibita proſunt. Quam felices eſſent Vitembergenſes noſtri, ſi haec obſeruantes, corporum ſuorum marſupiorumque incolumitati melius, quam tenus hac factum, repudiatis herbis & aromatibus exoticis, proſpicerent. Quot millia imperialium Batalui, Itali aliique peregrini mercatores ex noſtris aufferunt regionibus, relictis uilibus, quae reſpuunt, aromatibus, ueris uenenis, atque ignibus Indicis? Quot deinceps, quotidiano horum uſu, abuſu dicam, grauibus miſere morbis afflicti, praematura obeunt morte? Si ſanitatem

corporis, te cum Poeta (k) hortor, ſeruare uis, in ferculis ne gloriare exoticis, Teuto es, maneto Teutonis domeſticisque in terminis. His plane congruit dictum Philippi Liberi Baronis a Winneberg, qui haec omnia, quae modo indicaui, ſequenti effato comprehendebat: *Ein teutſcher Magen kann ſich wohl mit teutſcher Würtze betragen.*

XIII. Ne uero illi, apud quos conſuetudo uim naturae acquiſiuit, quique a tenera iam aetate, exoticorum aromatum uſui aſſueti, ſine illis, uti credunt, uiuere nequeunt, anſam hinc, Vitebergam noſtram calumniandi, & de neceſſariorum uitae ac ſanitatis praeſidiorum defectu conquerendi, nanciſcantur, plures mercatorum tabernae, omnis generis aromatibus refertiſſimae, apud nos inueniuntur; inuenitur inſuper officina, & aromatibus, & medicamentis, iisque ſelectiſſimis, ac ſumma ſedulitate praeparatis, inſtructiſſima. Nec deſunt nobis medici, quinimo plures ſaepius Vitembergae medicos, quam aegrotos habemus. Sed, quid medici? quid medicamenta? obiiciet gens libidinoſa ac delicata, talia ſanitatis praeſidia nobis maxime exoſa atque aduerſa ſunt? bona, quaeſo, uerba, non commendo tibi medicos, multo minus, medicamenta tibi obtrudenda eſſe, cenſeo, eorum ſaltem hunc in finem, Vitembergaeque noſtrae iisdem abundantis, mentionem facio, ut eorum mendacia ac calumniae detegantur partim, partim refellantur, qui, tam de medicorum Vitembergenſium peritia, quam remediorum apud nos paratorum uiribus, ſiniſtre iudicantes, eadem minus ſufficientia, uel nullius pretii & utilitatis eſſe, perhibent, & alia aliunde arceſſenda atque aſportanda curant. Cum uero delicatiſſimum ueſtrum faſtidium, praeter cibum & potum, meras requirat uoluptates, corporis exer-

(k) Leibius lib. cit. apophthegm. 190.

exercitia, atque occaſionem libere iisdem fruendi, ſciatis, eadem quoque Vitembergae noſtrae adeſſe, quae adimplendo in his deſiderio ueſtro ſatisfaciunt; ſatisfacient, inquam, uobis, equitationis, ſaltationis, athleticae diſcendae atque exercendae amore incenſis, peritiſſimi harum artium magiſtri, hunc in finem Vitembergae conſtituti. Et profecto, hae artes, non ſanitatis ſaltem, ſed aptae artuum compoſitionis & directionis ergo, quam adiuuant maxime, maximi aeſtimandae, colendae. Putreſcunt, ni moueantur, aquae, uitium capiunt humores noſtri, niſi externa artuum agitatione, motui partium interno ſuccurrentes, liberum maſſae ſanguineae per uniuerſi corporis organa progreſſum promouendo, animalem ſecretionem omniumque membrorum & uiſcerum nutritionem ac robur conſeruemus. Torpet, omiſſo tempeſtiuo partium corporis exercitio, neruorum motus, eoque hebeſcente & languente debilior, redditur cordis ac reliquorum uiſcerum in fluida actio; unde particulae minimae, ſanguinem conſtituentes, minus attritae & diuiſae, extremos uaſorum poros obſtruendo, ac maſſae purpureae circulum uaria ratione turbando, multiplices diſcrepantis naturae morbos producunt. Otium hinc, iucundiſſimum malum, ſanitati infenſiſſimum, merito appellatur, nam, & intermiſſus, ait CELSVS, (l) propter aliquas ciuiles neceſſitates, ordo exercitationis corpus affligit, & ea corpora, quae more eorum repleta ſunt, celerrime & ſeneſcunt, & aegrotant. Solum motum temperantia ſociatum, proſperae ualetudini, quam diutiſſime conſeruandae, ſufficere, ac robur articulis & muſculis inſpirare, ſententia eſt HIPPOCRATIS, (m) hiſce explicata; *ἄσκησις ὑγίης ἀκορίη*

 τροφῆς

(l) de Medic. lib. 1. cap. 1. (m) Oper. lib. Epidem. 6. Sect. 4. conf. Sponius l. c. Sect. 4. §. 71. & 72. p. 266.

τροφῆς, ἀοκνίη πόνων· καὶ πόνος τοῖσιν ἄρθροισι καὶ σαρκὶ σῖτος. Motum pariter, ſanitatis ergo, commendat PLATO, (n) hiſce uſus: ἡ τῶν σωμάτων ἕξις ὑπὸ ἡσυχίας μὲν καὶ ἀργίας διόλλυται, ὑπὸ γυμνασίων δὲ καὶ κινήσεων ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ σώζεται. Idem nec alius erat tot ac tam diuerſorum apud Graecos exercitiorum finis, qui eadem, ad firmandam corporum incolumitatem, tanti fecerunt, ut peculiarem medicinae partem, γυμναστικὴν dictam, conſtituerint, cuius originem Hippocrati Plato tribuit, de eodem ſcribens: μίξας πρῶτος ἀνθρώπων γυμναστικὴν ἰατρικῇ, qui primus mortalium gymnaſticam arti ſalutari aſſociauit. Quemadmodum uero nullum eſt dubium, talia exercitia a Sereniſſimis huius Academiae Fundatoribus ac Nutritoribus, eundem pariter in finem Vitembergae inſtituta, iisque docendis ac dirigendis magiſtros idoneos praefectos fuiſſe, ita modum quoque in his ſanitatis praeſidiis adhibendis exacte tenendum eſſe, omnes, qui ſuas actiones ad rationis normam expendunt, mecum fatebuntur. Totos ſe dedere huiusmodi exercitiis, totos iisdem terere dies, & perpetuo ac forti artus fatigare motu, nec animi nec corporis ſaluti conducit; mens quippe, poſthabito, quo inſtruenda, atque emendanda eſt, ſapientiae paſtu, in priſtina permanet inſcitia ac ſtupiditate, corpus uero neceſſariis ſpoliatum ſuccis & uiribus, extorretur, & ad hecticam atque alios ſimilis indolis morbos diſponitur, & iisdem, niſi tempeſtiuam feramus opem, correptum, praematuro ſuccumbit obitu. Neceſſe cumprimis eſt, ut ſicciores, in regimine atque uſu huiuſmodi exercitiorum, maximam adhibeant prudentiam, &, uel leniori equitatione, uel agitatione in rheda, lectica, aut nauicula, aut alio ſimili motus remiſſioris genere, cuius multiplicis copiam & occaſionem

(n) In Theaeteto.

nemapud nos inueniunt, utantur. Omnibus uero his exercitiis, ſanitatis cauſa inſtitutis, ambulatiunculam, cui ſincerus amicus, iucundo frugique ſermone mentem meam recreans, comes eſt, praefero, eumque feliciſſimum iudico, qui ſanis pedibus ac ſufficientibus uiribus inſtructus, corpus, amoenis obambulando locis, & ſedulo artus agitando, probe & frequenter commouere atque exercere poteſt. Huiusmodi motum, uectione in rheda longe praeſtantiorem atque utiliorem, Xylander iudicat, uti ſequentes, quas literis ad PLEMPIVM (o) datis deplorabat, querelae manifeſtant: quid? quod non in curia tantum, ſed etiam in uia ſedendum ſit. Peſſimo mori manum dedimus uehiculum perpetuo conſcendendi; ſi, ut olim, tantillum itineris, quod quater in die repetendum eſt, pedibus conficeremus, poterat ſedentaria fatigatio hac inceſſus agitatione diſcuti. Sed, quid eſt? tanta curruum frequentia per ſtrata uiarum noſtrarum quotidie diffunditur, ut, niſi pedibus equorum obteri, aut conſpurcari luto platearum uelimus, etiam ad curulem uectationem cogamur decurrere. Huc nempe uentum eſt, ut uideamur uſum pedum amiſiſſe, quem reſtitui priſtinae frequentiae, cenſebis non dubie intereſſe ſanitati hominum. Martialis inſaniae adſcribendum putauit, ſi homo iuuenis & ualidus, alienis pedibus ambulet per urbem, Philippum quendam inſectatus hoc epigrammate: octophoro ſanus portatur, Auite, Philippus, hunc tu ſi ſanum credis, Auite, furis.

XIV. Tot uero tantaque ſanitatis praeſidia, quae Vitemberga noſtra poſſidet & ſuggerit, non uobis ſaltem corporis in gratiam conceſſa eſſe credatis, ſed, ut idem ſufficientibus praeditum uiribus, obeundis mentis functi-

 onibus,

(o) uid. Ramazzini lib. in 8uo Mutinae 1700. de morb. artif. ed. cap. ult. p. 319. & 320.

onibus, opera ſua praecipue praeſto ſit, ac ſatisfaciat. Quid eſt omne corporis exercitium ſine literis? otium. Quid uita ſine eruditione & prudentia? mors, & uiui hominis ſepultura. Ne igitur paulatim, uti loquitur SENECA, (p) effeminetur otio animus, atque in ſimilitudinem otii ſui & pigritiae, in qua iacet, ſoluatur, praeſtantisſima ac praeſentisſima uobis Vitemberga noſtra ſiſtit & offert praeſidia, abunde mentis incolumitati proſpicientia. Non ſeducat uos, o Noſtri, cerebrina otii turpiſſimi ſuauitas, latet anguis in herba, Thyeſtea eſt coena, diſtrictus inerti capiti ueſtro gladius impendens, repentinum uobis minatur interitum. Sobrium ſapientiae uerae ſtudium ſummo iure in claſſem earum rerum refertur, quae omnem in tuenda corporis animique ſanitate paginam abſoluunt, quatuor haec, canit Poeta, (q) hominis tranquillant tempora uitae, philoſophia, merum, ſomnus, amicitia. Tribuitur hoc effatum Conrado Celti, primo Poetae Germano, cui facile condonandum, quod ſapientiae & amicitiae ſtudio, uinum, Poetarum caballum, & ſomnum, huic ſuccedentem, quo exhauſtae uires reſtituuntur, & excitantur, adiunxerit. Maximi autem inter allegata mentis ſanae praeſidia, philoſophia & amicitia, aeſtimandae. Sapientiae ſtudium omnibus neceſſarium, eoque nullus plane literatorum, niſi illiterato ſtupidior & dementior uelit eſſe, carere poteſt. Quid, quaeſo, nos a brutis diſtinguit? nonne ratio? quid rationis culturam & expolitionem adiuuat? nonne philoſophia? Quid uita ſine conſuetudine? quid conſuetudo ſine amicitia? quid ueram procurat amicitiam? nonne philoſophia? ſolus ſapiens, SENECAE (r) mei eſt effatum, ſcit amare, ſolus

(p) Oper. quae Antuerpiae 1652. in folio cum Lipſii Comment. prod. epiſt. 82. p. 542. (q) Leibius lib. cit. epigrammate 200. (r) Oper. edit. cit. epiſt. 81. p. 539.

lus ſapiens amicus eſt. Phiſolophia uero, rationis emendationi proſpiciens, quam uobis, o Noſtri, diligentiſſime commendo, non ſit aduerſa uerbo diuino reuelato; omnis enim ſapientia, quae huic repugnat, amentia eſt. Circumſpectus igitur ſis, ne fucata immundi mundi munditia & elegantia te ſeducens aeterna priuet felicitate, ſi quis amat mundum, mundi Dominoque repugnat, dum moritur, mundum amittit, mundi Dominumque. Perpetuo hinc mentem in ſacrum codicem intentam defixamque gerentes, praeceptis illius ueſtram ſapientiam, & omnes, quas ſuſcipitis, actiones accommodetis. Eadem ad haec methodo, eadem ſedulitate, in applicatione praeſidiorum mentis, quam, ad defendendam corporis integritatem, laudaui, opus eſt; conſtanti quippe ſcientiarum atque artium exercitio uires animi excitandae, fouendae, augendae, repudiatis plane luxuria & deſidia, ἡ ἐν ψυχῇ ἕξις, ait PLATO, (s) ὑπὸ μαθήσεως μὲν καὶ μελέτης κινήσεων ὄντως κτᾶταί τε μαθήματα, καὶ σώζεται, καὶ γίνεται βελτίων. Vtamini itaque, quo quotidiana uerborum factorumque ueſtrorum emendatione, noua capiatis incrementa, ſalutaribus, quae uobis Academia noſtra ultro offert, & largiter ſuggerit, animae ſalutisque aeternae praeſidiis, ac, cum nunquam non anima, perpetuo cogitans, agere aliquid geſtiat, hoc uobis ſit curae cordique, ut ſemper, optima cogitando, dicendo, moliendo, operando occupetur. Eam praeterea iudicii uim ac firmitudinem, diligenter in ea, quae auditis, legitis, uidetis, facitis, intendentes, uobis comparate, ut neque ſenſus animum decipiat, neque obiecta ſenſum fallant. Res ac perſonae, cum quibus in hoc mundo occupati uitam agimus, diſcrepantes plane ſunt; nihil hinc prudentia, prudentique eorum diſcriminatione,

&

(s) in Theaeteto p. 118.

& diiudicatione melius, nihil utilius. Huc ſine dubio reſpexerunt Sereniſſimi Academiae Noſtrae Fundatores & Nutritores, qui, tot Profeſſores Philoſophiae, tot diuerſarum Philoſophiae partium Doctores conſtituendo, diuerſorum ingeniorum, hoc illudue ſtudium eligentium, culturae atque emolumento ſuccurrendum eſſe uoluerunt. Philoſophos habemus praeſtantiſſimos, Oratores & Hiſtoricos ne quidem ad ullum comparandos, linguarum Doctores egregios, rationis ac morum Duces prudentiſſimos, naturae Interpretes doctiſſimos, Viros rerum mathematicarum peritiſſimos harumque cognitione ac demonſtratione excellentes. Floret adhuc in noſtra Academia, Adiunctorum, qui Facultatis Philoſophicae Aſſeſſores ſunt, ordo. Plures quoque Magiſtri Legentes apud nos commorantur, doctorum promulgatione ſpeciminum, ac ſedula eruditarum utiliſſimarumque continuatione lectionum celebres. Quid de Academiae noſtrae Theologis & Iure-Conſultis dicam, quos ſemper inclytos atque eruditionis, pietatis & iuſtitiae fama maximos habuit, & adhuc habet? Omnes iidem, o Noſtri, ueſtris intentiſſima intenti commodis cura, uiuunt, uigilant, Vos expectant, ueſtrorumque corporum & animarum ſalutem unitis promouere uiribus nituntur. Hos adire, hos audire, hos conſulere, ex horum ore proficere, horum frui conſuetudine atque amicitia, haud ultimum felicitatis humanae eſt praeſidium, quo rite utentes, non ſani modo, ſed optimis quoque rerum gerendarum auxiliis inſtructi munitique Vitemberga diſcedetis; nam ſocietatis humanae, ex CICERONIS (t) effato, uinculum eſt, ratio atque oratio, quae dicendo, communicando, diſceptando, iudicando, conciliat inter ſe homines coniungitque naturali quadam ſocietate

(t) Libr. I. de officiis.

tate. Vera igitur iudicii perſpicacis ratio & probe expenſa uiri docti ac prudentis ſententia plus apud nos ualeat, quam uetuſta & penitus inſita totiús multitudinis imperitae ac ſtultae opinio.

XV. Opera deinceps in actionum noſtrarum regimine ſedulo nauanda eſt, ut earum uices debito ordine ac tempore prudenter permutentur, & neceſſaria motui quies, iucunda meditationibus refectio, ſufficiens lucubrationibus ac uigiliis ſomnus, adiungatur; nam eadem ſimul ſubſidia, ac congruam eorum uiciſſitudinem, mentis ac corporis ſanitas diutius conſeruanda, requirit. Prout cos falci, ita requies & ſomnus animo corporique neceſſaria ſunt; quod caret alterna requie, durabile non eſt; amant alterna camoenae; diei luci noctis ſuccedit umbra, quo ſomno perfruentes, uires labore motuque perditas recuperemus; ſomnus quippe certiſſima malorum animi & corporis medicina, curarum domitor, ac melior pars humanae uitae exiſtit, cuius beneficio recreati, mane alacres uegetique e lecto ſurgimus, conſueta ſuſcepturi & obituri munia. Debemus igitur diurnis laboribus bene feſſi, quietis & recreationis ergo, lectum ſubire; ſed decet peraeque nos ſanos, ante lucis matutinae exortum, ſomni longioris ac ſtragulorum pertaeſos, libenter exſurgere, laboremque, quem perficiendum habemus, repetere, expendentes, quod aurora Muſis amica, ſomnus matutinus contra Studioſorum peſtis ſit, unde noſtratibus in prouerbium abiit: *Leute die lange ſchlafen, ſeynd faule ſocii, und gehoeren gar nicht unter die Zahl gelehrter Leute.* Plus uigila, Catonis erat praeceptum, ſemper nec ſomno deditus eſto, nam diuturna quies uitiis alimenta miniſtrat. Turpem, & merito turpem, SENECA (u) pronunciat,

(u) Oper. edit. cit. epiſt. 122. p. 669.

at, qui alto ſole ſemiſomnis iacet, cuius uigilia medio die incipit; & multis hoc adhuc antelucanum eſt. Qui igitur ualetudine integra frui, diuque uiuere, & ſapere cupit quam maxime, quam longiſſime uigilet, ſola ſanitatis commoditate ſeruata; quod ſopor eripuit, credas abſcedere uitae, ὕπνος γὰρ δὴ πολὺς, PLATONIS (x) eſt explicatio, οὐδὲ τοῖς σώμασιν, οὐδὲ ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν, οὐδ᾽ αὖ ταῖς πράξεσι ταῖς περὶ ταῦτα πάντα ἁρμόττων ἐστὶ κατὰ φύσιν· καθεύδων γὰρ οὐδεὶς οὐδενὸς ἄξιος, οὐδὲν μᾶλλον τοῦ μὴ ζῶντος· ἀλλ᾽ ὅστις τοῦ ζῆν ἡμῶν καὶ τοῦ φρονεῖν μάλιστά ἐστι κηδημὼν, ἐγρήγορε χρόνον ὡς πλεῖστον, τὸ πρὸς ὑγίειαν αὐτοῦ φυλάττων μόνον χρήσιμον. Haec autem omnia, horumque ordinem, illum in finem tam ſerio ſeduloque urgens inculco, ut commendata antecedentibus ſanitatis praeſidia, quae Vitemberga noſtra poſſidet, ſuo non fruſtrentur fructu, ſed prudenti potius eorum applicatione, optima corporis animique diſpoſitio conſeruetur, ac mens & corpus, omnibus perturbationibus & incommodis libera, nullas in ſuis functionibus remoras, nullas ſentiant difficultates.

XVI. Quoniam igitur in his multum poteſt ac praeſtat animi prouiſio & praeparatio, hinc ſemper homini humana ſint praemeditata; non enim praeſidiorum ſanitatis ſufficientium ſufficit praeſentia, ſed prudens praeterea ac felix praeſentium uſus requiritur. Exoptatus uero applicationis ſucceſſus cognitione ſui ipſius tam naturali quam morali nititur; moralem ex Theologia, Iurisprudentia et Philoſophia uobis comparare poteſtis; naturalis uero, anatomiae miniſterio diſcenda, & a naturali ſtatu iam perſpecto, deinceps ad aegroti examen progrediendum eſt. Dedecus certe ſummum mihi uidetur, quod tot literati, tot nobiles, aliorum commodis aliquando conſul-

(x) Lib. 3. de leg bus.

ſulturi, inueniantur, qui omni internae corporum fabricae notitia deſtituti ſunt. Ignominia ſane, & turpitudo haud leuis eſt, uiuere, & ignorare, quid ſit uita, quae uitae ratio, & fundamentum; conſiderate modo, quam utilia, quam neceſſaria, quam facilia haec ac iucundà ſint cognitu; arripite commodam amplamque occaſionem, humani corporis ſtructuram perſcrutandi atque addiſcendi, quam Vitembergae, Doctore ac Duce Abrahamo Vatero, incomparabili Academiae noſtrae Anatomico, genuino Ruyſchii Amſtelodamenſis auditore, ac feliciſſimo Ruyſchianae artis imitatore, qui & paria, & ſuperiora Ruyſchianis experimentis praeſtat, habetis. Nec eſt, ut nauſeoſo cadauerum putreſcentium foetore auocati, corporum ueſtrorum cognitionem, anatomiae ſubſidio comparandam, negligatis, cum locupletiſſimus theſaurus anatomicus celeberrimi Vateri, uberiori omnis generis muſculorum, uiſcerum, uaſorum, neruorum, aliarum partium, totorumque corporum, accurate & nitidiſſime praeparatorum apparatu inſtructiſſimus, nihil, quod oculos uel aures offendat, exhibens, ſcopo huic commodisſime obtinendo ſeruiat. Praeter haec Regium apud nos proſtat Muſeum, quod non magnam modo praeſtantiſſimarum a Ruyſchio aliisque inclytis Anatomicis praeparatarum partium & corporum, ſceletorumque diuerſae magnitudinis copiam, ſed multa etiam curioſa, totas ſcilicet machinas, humana concinnatas manu, omnium organorum ſtructuram, ſitum & nexum, uiui ac ueri inſtar corporis, ſiſtentes, una cum uariis monſtris ac portentis continet. Ab his, modo idem tibi curae cordique eſt, ſine ulla nauſea & taedio, tui ipſius cognitionem, perfacili negotio, ac breui, ſi attendas, tempore, acquirere potes. Luſtratis iam ac cognitis iis, ex quibus corpus tuum coagmentatum eſt, mentis tuae oculi

recludentur, facilemque, ad moralem tui cognitionem, aditum inuenies. Ac, quod maximi hic faciendum, ſui ipſius cognitio quemuis, utilium uſum, ac noxiorum, uoluptatum in ſpecie, fugam, cultumque corporis conuenientem, docet, ac tali ſimul imbuit peritia, ut etiam morbo affectus omnia diſtincte, a principio usque ad finem, medico referens & deſcribens, mali tui cognitionem ac medelam facilitare queas.

XVII. Decet hoc modo acrius & grauius, omni cogitatione, omni ſtudio curaque in id incumbere, ut praeſidia ſanitatis interna, externorum congrua tempeſtiuaque applicatione, integra ſeruentur, atque incolumis & proſpera diutiſſime ualetudo defendatur. Praecipuum, inter interna, ſanitatis praeſidium eſt, bona firmaque conſtitutio ex utero aſportata, & accommodato confirmata uictu, quam ex libero & conſtanti functionum mentis & corporis, ſine incommodo & dolore, aequali ſemper procedentium ratione, exercitio, cognoſcimus. Bona uero illius cenſenda conſtitutio, qui a ſanis procreatus ac nutritus parentibus, exactis nouem in utero menſibus ſolaribus, ſanus, atque omnibus integer membris, in hanc lucem prodit, ac thoracem latum & amplum, abdomen gracile & compreſſum, artus firmos & poroſos, cranium parte poſteriore magnum obtinens, facili, plena, lenta & aequali gaudet reſpiratione, pulſum lentum, plenum, ac perpetuo aequalem habet, aluum conſiſtentem, uel quotidie, uel, quod melius, altero ſemper reddit die, urinam paucam, coctam, copiae & naturae potus aſſumti reſpondentem, excernit, ſudorem rarum, raro ſine cauſis manifeſtis erumpentem, experitur, impenſiori ad aſſumenda alimenta appetitu ſollicitatur, eaque, quae aſſumſit, facile, breuique, nulla poſt paſtum moleſtia percepta, digerens, uniuerſo communicat corpori; quique in ſuſcipiendis laboribus prom-

promtus, continuandis indefeſſus, abſoluendis tolerans & remiſſus eſt, atque ubi corporis motum tardiorem tarditas animi tranquillitate ſociata comitatur. Plures, quorum natale ſolum Vitemberga eſt, huiusmodi corporis conſtitutione praediti longaeuitatem morbis uacuam adipiſcuntur. Plures adhuc de emolumentis ac praeſidiis Vitembergae propriis ac familiaribus participarent, niſi uoluptas, inimica uirtutis, eſca malorum, bonum corporis reique domeſticae ſtatum corrumpendo, ſalutarem praeſidiorum ſanitatis internorum atque externorum effectum cohiberet, ac minueret quam plurimum, aut funditus tolleret. Quid de iis noſtrae ciuitatis incolis ſentiendum? quid ab iis expectandum? qui diſſolutae addicti uitae totos dies otio terunt, uerbum diuinum, eiusque miniſtros & cultum negligunt? comitantur ac ſequuntur peſſimum hoc uitae genus, omnis generis morbi, ſumma rerum neceſſariarum penuria, & praematurus ac miſer interitus. Orbantur huiusmodi homines omnibus bonis, bona temporalia quaerentes; eiiciuntur e domo propria, quae alias inter terrena terrenis amiciſſima eſt; uacillat, ut paucis reliqua complectar, ſanitas, perit uita, ſequitur aeternitas, ac poſteri eorum in ſumma miſeria relicti tales merito anteceſſores deteſtantur, nam, qui propriae domui non prodeſt, peſſimus ille eſt, *es iſt eine böſe Sau*, dicebat Philippus Primus, Dux Pomeraniae, *die ihre eigene Ferckel friſt*. At enim uero, nonne iidem ipſi, rebus rite perquiſitis, praeſentium, quibus premuntur, obruuntur, ac demum opprimuntur, malorum auctores atque architecti ſunt; ad animum praeſertim reuocare debuiſſent, quod eosdem Deus non ad otium, libidinem ac uoluptates, ſed ad laborem creauerit, feriam prae omnibus aliis, ſui nominis culturam deſiderans, qua neglecta, non mirandum, ſi iidem ite-

 rum

rum a Deo negligantur; paria quippe ſunt hominum laboribus ac precibus praemia, quae Deus liberaliſſima alias largitur manu, nam, ut legis in ſacris, ſic res tua ſtabit in atrIs. Priſci Vitembergenſes dicebant: *Wie einer lieſet in der Biebel, ſo ſtebet in dem Hauſs ſein Giebel.* Impietatis & ſocordiae indiuidui comites ſunt, morbus, paupertas, atque aeternae periculum ſalutis, nempe ἀρχῆς κακῆς τέλος κακὸν, principii mali, finis malus. Aduertes contra contrarium, eumque exoptatum, in quam plurimis Vitembergenſibus, praeſidiorum ſanitatis effectum, qui debitam iuſtamque ſuarum rerum ac proprii corporis curam gerentes, ab omnibus, quae recenſui, incommodis immunes ſunt, atque ad ſeram uegeti ſenectutem perueniunt. Haud rara apud nos ſunt exempla, & uix ulla attentione ac memoria digna iudicantur, ſi uiri foeminaeque octoageſimum, recte ualendo, ſuperarunt annum; nam plures Vitembergenſes non eum modo annorum numerum aſſequuntur, ſed longe tranſcendunt, adeo, ut nobis perfrequentes ſint hiſtoriae hominum, qui nonaginta, centum, & quod excurrit, annos uixerunt.

XIIX. Luculento haec exempla, quibus abundamus, nobis ſunt teſtimonio, conficta omnia ac nefarie a peſſimis calumniatoribus excogitata eſſe, quae in Vitembergae opprobrium ac detrimentum, de inimicis ſanitati conditionibus, inique atque iniuſte Leucoreae noſtrae imputatis, afferuntur. Quomodo locus, qui tot hominibus tam egregia certaque ſanitatis ac longaeuitatis ſubſidia abunde ſuggerit, proſperae incolumitati ualetudinis infenſus eſſe poteſt? Quomodo ſedes ac patria hominum longaeuorum, origo & cauſa morborum appellari poteſt? Duos autem iam tibi aperiam fontes, ex quibus hoc praeiudicium profluens diffluxit per totum terrarum orbem, alter eſt inuidia, igno-

ran-

rantia alter. Quod attinet inuidiam, in aprico omnino poſitum, ipſisque aduerſariis noſtris in confeſſo eſt, quod multos odio ac calumnia plenos male habuerit, Vitembergae, loco, uti illis uidebatur, abiecto, Academiam, celebre muſarum domicilium, futuram, inſtitutam fuiſſe. Creſcebat inimicorum in Vitembergam Vitembergenſesque liuor, obtrectatio, fraus, dolus, ac malitia, cum, moleſtia & offenſione grauati, uiderent, erui plane Vitembergam noſtram ex obſcuritate, eamque, tantam nominis celebritatem, ex fundata Academia, & reſtituta per eandem diuinae religionis puritate, adipiſci; tum protinus inuidia nigro ſqualentia tabo tecta petebat, tum malus obtrectabat facta immortalia liuor, nec ſinebat adiutas Doctoris creſcere laudes, ſed ut latens ima uipera ſerpebat humo, ac dirum Vitembergae intentabat exitium. Obſeruantes demum maleuoli obtrectatores, quod omnes earum technae, malaeque, quibus ſtudebant, artes, irrito adhiberentur ſucceſſu, calumnias calumniis, conuitia conuitiis cumulando, Vitembergam contagioſorum & lethalium morborum fomitem in ſinu ſuo fouere, omnesque, qui eandem adeant, trucidare, ſcriptis famoſis in uulgus editis, per uniuerſum terrarum orbem diſpergebant, firme animo perſuaſi, hac methodo ſtudioſos ad Vitembergam confertim confluentes auocari abducique denuo poſſe; ſed, ſummus Arbiter, peſſimos hoſce conatus abolendo atque in nihilum redigendo, magis magisque orſis Academiae noſtrae rebus benedicens, optimos largiebatur Doctores, inter quos ordinem Theologorum Staupitius, Lutherus, Iuſtus Ionas, Crucigerus, Forſterus, Edenbergius, Aurogallus, ornabant. Primi Profeſſores Iuris fuere Petrus Raſennas, Hieronymus Schurff, Henningius Goeden, Sebaldus, Munſterus. Primum hic Medi-

cinam

cinam docuerunt, Mellerſtadius, Auguſtinus Schurf, Simon Stein, Georgius Curio, Iacobus Mylichius, Melchior Feindius. Philoſophiam primi profeſſi ſunt, Vach, Sebotus, Ebenerus, Volcmarus, Cruciger, Vitus Vinshemius, Marcellus, Velcurio, Reinholdus, Amerbachius, Burchardus. Floruit ab eo tempore ſemper & Docentium ac Diſcentium copia Vitemberga noſtra, niſi, quod anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, metu obſidionis ab Imperatore Carolo Quinto futurae, muſarum alumni diſſipati fuerint. Sequitur, SCATONE teſte, (y) triſte ac difficile tempus, quo Muſae Schmalcaldico bello conterritae, & e dulciſſimo ſuo domicilio eiectae, paſſimque diſperſae, aliquandiu ſiluerunt, & Academiae ſtatus miſere labefactatus, & funditus fere euerſus fuit. Idem pariter, graſſante paſſim per totam Germaniam peſte, eaque Athenas etiam noſtras inuadente, euenit. Hanc nouam hoſtes noſtri anſam materiamque, locum noſtrum improbandi, calumniandi, accipiebant, libere uociferantes: ex his manifeſtum eſſe, quod Vitemberga exitioſiſſima & feracisſima morborum lethalium ſit mater & ſcaturigo. Iungebatur ita inuidiae ignorantia, & genuinae peſtis cauſae occultatae ac cum falſis confuſae etiam prudentisſimis imponebant; nam dira peſtis lues, quae, horribili edita ſtrage caedeque, quaeuis peraeque Europae loca tum uaſtabat, incolis priuabat, non Vitembergae culpa, aut propriae eidem, uel genitae in eadem uitio cauſae, orta, ſuam exercebat tragoediam, ſed pernicioſiſſimus belli, turbati ordinis, ac militum peregrinorum, qui huius morbi uenenum & contagium ſecum attulerant, fructus erat, uti ulterius, Vitembergam morbis endemiis liberam defenſurus, ob oculos po-

nam.

(y) Oratione quae 1602. d. 15. Nou. habita, in Hiſtoria Acad. Vitemberg. a Sueuo concinnata, ſub rebus eodem anno geſtis, extat.

nam. Vnde autem uerba ſufficientia, ac Meritis & Beneficiis Sereniſſimi Principis atque Electoris Mauritii praedicandis paria, depromam, qui ſub initio ſui regiminis, in grauiſſimis aliis, quas tempora illa afferebant, curis, deliberationibus, atque occupationibus, haud leuem turbatae atque afflictae Academiae, iterum colligendae, & in tranquillum denuo ſtatum, eumque priore non inferiorem, aut meliorem etiam, reſtituendae, operam nauauit, ſumtusque egregios impendit. His excitatus atque inflammatus SVEVVS, (z) ſibi ſuaeque Academiae, de exoptato feliciter ſuperatarum calamitatum fine, gratulans, ſequentibus ſingularia Diuini ſubſidia Numinis, Vitembergae collata, extollit, effatur: felicitatem Academiae Vitembergenſis inſignem non poſſum non uel breuiſſimis contemplari, ac laetabundus mirari. Annum agit, & expleuit nuper, per Dei gratiam, centeſimum quinquageſimum tertium. Bellis non ſemel ac peſte tentata, alio migrare coacta eſt; diſſipata ſaepius docentium ac diſcentium cohorte, diſſidiis in religionis negotio & contentionibus ſollicitata non parum, ſibi tamen mox reſtituta, priſtinum recepit uigorem, fideique ac religionis puritatem, pulſis & profligatis erroribus, conſtanter aſſeruit, id unice & uigilantiſſime agendo, ne ſub ſpecioſo aliquo praetextu, noua, ſuſpecta, aut erronea dogmata irrepant, quae ſingulari ſapientiae, uel acuminis cuiusdam ſpecie ac titulo, ſuauiter diſcentium animis ſe inſinuent, atque imperitis facile imponant.

XIX. Examinemus igitur, quo propius ad rem accedamus, tritum ſermone prouerbium, in Vitembergae ignominiam excogitatum, ac pronunciatum; perpendamus ſimul conuitia, aliis peraeque Academiis eodem dicta

(z) Hiſtoria Academiae Vitembergenſis, fere in Praefationis medio.

prouerbio; conferamus denique ea omnia cum iis, quae nos hiſtoriarum monumenta, quotidianis ſociata obſeruationibus, docent, ac ſanae rationis uis & acumen inculcat. Fuit nempe aliquando iuuenis petulans, fuere, inquam, huiusmodi, minus perſpicaci praediti iudicio, qui Ienenſis, uel Lipſienſis puellae, uel prorſus meretricis, eheu, quantum diſcrimen! amore illecti, eandem in matrimonium duxere, atque una cum tali coniuge, in patriam, quanto, quaeſo, Parentum gaudio! magna praedae inutilis & noxiae onere onuſti, redierunt, noſtrates dicunt, *nun iſt wieder eine Hure weniger bey uns.* Quis uero ſana praeditus ratione iſtiusmodi reſpiciens hiſtorias, uitia illa Academiae Ienenſi, uel Lipſienſi, quae per ſe omni crimine ac culpa uacant, imputabit, imputanda ſtupiditati atque inconſideratiſſimae & dementiſſimae huiusmodi hominum temeritati, quia tale quid nunquam admittit ſtudioſus magnitudine conſilii atque ingenii excellens. Nec ignota raraque ſunt nobis talia exempla, ubi ſimilis farinae homines, cum publicis meretricibus, quae diu e corpore quaeſtum quaeſiuere, connubium ineuntes, perditiſſima & profligatiſſima ſtudiorum ſuorum praemia ſecum domum reportarunt. Eodem plane modo procedendum, in eruendis morborum mortisque praematurae cauſis, quas Vitembergae iniqua tribuunt conſequentia. Plures ſtudioſi, qui apud nos aegrotant, aegroti iam, ipſis morborum ſeminibus ſecum adductis, accedunt; plures contra, qui aliis locis diuerſa corporis incommoda conſtanter perpeſſi fuerunt, noſtras frequentando Athenas, ab omnibus liberi infirmitatibus, optime ſe habent, ſanique uiuunt; multi uero, qui proſpera atque integra praediti ualetudine ad nos perueniunt, in morbum deinceps incidentes, non Vitembergae, ſed ſui ipſius maximam partem

cul-

culpa, eodem affecti laborant. Morbi ſtudioſorum, niſi ipſimet grauius in uictu delinquant, aut enormes in aliis rebus errores committant, nobis rari, rariora adhuc eorum funera ſunt. Nullos prorſus affectus endemios Vitemberga obtinet aut fouet, raro etiam experta fuit epidemios. Epidemiis truculenta atque atrox peſtis primo annumeranda loco, quae, ſeculo decimo ſexto, magna cadauerum derepente & miſere mortuorum multitudine, tum Vitembergae, tum aliis Saxoniae Germaniaeque locis infenſa horrendaque fuit, de qua etiam, labeque Athenis noſtris affricata, ANDREAS LYMVICVS (a) ſequenti conqueritur carmine: digredimur, ualida ſurgunt ubi moenia ad Albim Leucorea Muſis quae ſacra piis, & alumnos innumeros quae ſemper alit, niſi diſſipat illos foeda lues, populoſue ciens in proelia Mauors; quo uariis oriunda locis ſtudioſa iuuentus confluit, & celebrem ſolito de more coronam ſcripturas dextre ſacras, artesque docentem. Aduerſum omnino fuit, quod ingenue fateor, Vitembergae noſtrae proſperitati atque incolumitati, ſeculum decimum ſextum, idque frequenti peſtis contagio diues, haud leues felici Athenarum noſtrarum incremento remoras iniecit; quater quippe eodem dira lues inuaſit ac uaſtauit ciuitatem noſtram. Primam peſtis ſaeuitiam anno milleſimo, quingenteſimo ſexto, Vitembergae, uix fundata exercuit Academia, unde eadem, menſe Iulio, Rectore Petro Lupino de Radhem, Herzbergam translata, & profligato contagio, ſub finem huius anni, teſtibus SENNERTO (b) ac SVEVO, (c) Vitembergam denuo reuocata fuit. Eandem calamitatem, ex ſaeuientis uehementia peſtis, iterum Vitemberga, anno milleſimo, quingenteſimo, uigeſimo

(a) Coſmographia Ritteri ed. cit. lib. 4. p. 428. (b) Athen. Vitemberg. p. 60. (c) lib. cit. ſub deſcript. ann. 1596.

mo ſexto, experta fuit, ubi Academia, una cum Docentibus, ac Diſcentibus, Rectore Henrico Stagkmann, Philoſophiae & Medicinae Doctore, die decimo quinto Auguſti, eodem, quem antea citaui, anno, Ienam commigrauit, ac Vitembergam, uti SENNERTVS (d) & SVEVVS (e) referunt, anno milleſimo, quingenteſimo, uigeſimo octauo, die decimo tertio Aprilis, rediit. Idem malum deinceps anno milleſimo, quingenteſimo, trigeſimo quinto, Rectore Alberto, Duce Brunſuicenſi & Luneburgenſi, Prorectore Sebaldo Minſterer, afflictiſſimam Vitembergam occupans, nouam denouo Ienam abeundi anſam dedit. Poſtremo, anno ſcilicet milleſimo, quingenteſimo, quinquageſimo ſecundo, Rectore Laurentio Lindemann, Iurium Doctore, peſſimus ille humanae uitae hoſtis, clam ſe Vitembergae denuo inſinuans, plures derepente peremit, unde Muſae Vitemberga exules Torgauiam cum Doctoribus ſuis confugerunt, ubi, ex SVEVI (f) teſtimonio, omnibus humanitatis, beneuolentiae ac hoſpitalitatis officiis adiuti fuere. Negare igitur non poſſumus, quod ciuitas noſtra ſaepe repetito peſtis truculentae impetu tentata miſereque afflicta fuerit, ſed duo in noſtrae Vitembergae patrocinium probe obſeruanda atque expendenda ſunt; primum, fide haud indignum uidetur, ab aduerſariis Leucoreae noſtrae, aquas, aliaque ſanitatis praeſidia uenenis infecta fuiſſe, quo, eorum operatione, finem ſuum, alia ratione non obtinendum, obtinerent; deinceps, ſi etiam quis has coniecturas iniuſtas ac ueritati minus conſentaneas duceret, hoc aduertendum eſſe iudico, quod peſtis, quae Vitembergam inuaſit, non ex cauſa Vitembergae propria, ſed communi,

(d) Lib. cit. p. 61. (e) Lib. cit. ſub iis, quae an. 1526. d. 1. Maii Vitembergae geſta ſunt. (f) Lib. cit. ſub. deſcript. an. 1552. d. 1. Maii.

muni, transeunte, eaque peregrina, infelici ad nos traducta fato, orta fuerit, unde haec breui, Vitembergenſibus ſopita ac deleta ſubſidiis, conquieuit. His & hoc, haud leuis momenti argumentum, addendum, quod anno milleſimo, ſexcenteſimo, octoageſimo, & iterum octoageſimo ſexto, cum peſtis in diuerſis Saxoniae Germaniaeque locis ſaeuiens omnia percelleret atque euerteret, Vitembergae ac Vitembergenſibus nihil mali, ab atroci peſtis malo liberis, Dei auxilio, euenerit, quod ſecus ſane eueniſſet, ſi Vitemberga, tam peſtilens ac pernicioſus, qualis uulgo, creditur, & habetur, locus eſſet. Maximam uero, in huiusmodi conuitiis diſſeminandis, atque augendis, uim & robur habent, ἀδέσποτοι rumores rudis atque imperitae plebis, quae, duo uno die elata funera uidens, mox locum calumniatur, deteſtatur, ac peſtem in eodem frequentem, & fere conſtantem eſſe, clamat. Clamorem eundem, easdem uulgi querelas, multoties de praecipiti aquarum Albis ſuas ripas transeuntium progreſſu, quem hominum multitudo, tanquam peſtilentiſſimae auctorem luis accuſat, audies. Tantum uero abeſt, ut a mediocri fluuii noſtri inundatione, pernicies aut detrimentum aliquod expectandum ſit, ut eadem potius, ſi attendamus monita antecedentibus, quarti fine capitis, pagina decima quarta, ſuppeditata, Athenarum noſtrarum commoda atque emolumenta haud parum promoueat. A uehementiori uero & largiori inundatione magis agri agrorumque ſegetes & fruges, quam homines, laedentur, cuius notabilem hiſtoriam ſequentibus refert SVEVVS: (g) anno milleſimo, ſexcenteſimo, quinquageſimo quinto, Rectore Andrea Kunado, Sacro - Sanctae Theologiae Doctore, gracialis illa aquarum eluuies, qua Albis ex diutur-

 tur-

(g) Lib. cit. ſub an. 1654. d. 18. Octobris.

turnis pluuiis & liquefactis niuibus maiorem in modum intumeſcens, cum glacie, intra alueum, prope pagum *Griebe*, ad dimidium milliare accumulata, uiam aliam non reperiret, effractis non uno in loco aggeribus, perrupit, & totam planitiem occupauit, ut Lipſiam ituris, per integrum milliare, usque ad Kembergam, nauigio utendum eſſet. Singulariter uero pagum academicum, *Eutſch*, dictum, afflixit & mundauit, ut illac peculiare quaſi fluentum inſtituiſſe uideretur. Accidit anno iam citato, octauo circiter Februarii die, & durauit per integrum menſem, usque ad diem decimum menſis Martii, non ſine inſigni damno & detrimento colonorum. Certa igitur calamitatis, quam cum agris agricolae tum temporis perpeſſi fuere, teſtimonia habemus, certa peraeque ſanitatis firmae, morborum expertis, documenta, qua eodem tempore fruebantur Vitembergenſes, in hiſtoriarum monumentis inuenimus.

XX. Magni certe intereſt, qua quis humorum uiſcerumque conſtitutione gaudeat, quo uictu utatur, quem in reliquis rebus, uitae tuendae ſeruientibus, obſeruet ordinem, & quibus antea delectatus, uſus, uel abuſus fuerit. His uero, quae anteceſſerunt, omiſſis, & neglectis, praeſentia tantum, quae, ad exactam mali eſſentialis & primarii cognitionem, minus ſufficiunt, maleuoli Vitembergae obtrectatores conſiderant. Vſu hoc praeſertim uenit in ſcabie, eiusque, quas allegant cauſis; multi quippe rerum noſtrarum non ſatis gnari, firmiter credunt, ſcabiem eſſe morbum, Vitembergae endemium, adeo, ut nullus ſtudioſorum ad nos accedentium ab eodem immunis maneat. Hanc autem opinionem, ementitum commentum, commentitiamque & fictam fabulam eſſe, innumeris ſtudioſorum optime conſtitutorum exemplis, qui hoc morbo

bo apud nos uiuentes nunquam laborarunt, demonſtrare poſſum. Si etiam unus alterue hoc afficiatur incommodo, idem ab aeris uictusque mutatione dependet partim, partim grauiores morbi per ſalutarem hanc materiae peccantis ſecretionem atque excretionem praecauentur, uti de his exanthematibus ſentiebat HIPPOCRATES, (h) qui eadem ne quidem pro morbo habebat, ψώρην αἶσχος μᾶλλον ἢ νόσημα εἶναι, ſcabiem magis turpitudinem, quam corporis infirmitatem eſſe, perhibens. Inſtituto deinceps accuratiori cauſarum, a quibus hoc malum oritur, examine, ac perquiſita diſcrepante eiusdem, quam ſequitur, origine, ſalia acria alcalina, in ſanguine excedentia, ſero plus minus uiſcido intricata, quorum generationem & coaceruationem peruerſa uictus ratio, ac peruerſus in rebus neceſſariis ordo, & abuſus promouet, fouet, accuſanda eſſe, deprehendimus. Quid autem cum his omnibus Vitemberga noſtra habet commercii, niſi quod tu neceſſaria atque optima ſanitatis praeſidia, quae haec tibi ſuppeditat, in pernicioſa deteſtando abuſu uenena commutans, ipſe, non Vitemberga inſons, ſis auctor malorum, malo uitae tuae generi ſuccedentium. Poſſet quis ab hauſtis affatim uinis Vitembergenſibus, non immerito ſcabiei, quam Vitembergae familiarem eſſe credunt, cauſam & ortum deriuare, ſiſtens eorum hiſtorias, qui exinde hanc cutis corruptionem contraxerunt, eruens uinorum circa Vitembergam creſcentium naturam & principia; ſed, quis tibi eorum uſum commendauit? noſtra uina nullius ſunt pretii, ac potui & ſanitati minus congrua. Bibas aquas noſtras, quae ob puritatem & ſimplicitatem, optima ſcabiei remedia ſunt, &,

(h) lib. d. affect. uid. Sponius l. c. Sect. 2. §. 46. p. 93. & 94.

&, ſi teneris uini bibendi deſiderio ac neceſſitate, generoſius, minusque noxium, elige, & tantum, quantum ſanitati diutiſſime conſeruandae prodeſt, bibe. Scabiem praeterea, non Vitembergae modo morbum endemium, ſed maxime periculoſum, atque aliorum grauium ſcaturiginem ſymptomatum eſſe, ex multorum multoties audiui ore, qui allegatis aliis aliisque ſcabiei ſpeciebus, eam maxime accuſant, & damnant, quam profligatam difficilis reſpiratio, tuſſis, ſputum cruentum, atque uniuerſi tabes corporis excipit. Aſt, unde, quaeſo, haec? curatam, regeris, ſcabiem ſequuntur. Quae ac qualis fuit methodus medendi? qualia adhibuiſti medicamenta? externis, reſpondes, linimentis atque unguentis priſtinum cutis nitorem reſtituens, hanc, mali fomes, in internis, quam modo deſcripſi, exercuit tragoediam. Clarum igitur ac perſpicuum ex his redditur, quod nec Vitemberga, nec ſcabies, aut mala eiusdem indoles, ſed peruerſa externorum ac noxiorum applicatio remediorum, quibus, cohibita materiae peccantis in externis ſecretione atque excretione, maxima internis partibus ac uiſceribus iniuria illata fuit, in crimen uocanda ſint; cutis quippe pori impuro obſeſſi tabo, uiſcidis ac pinguibus non obſtruendi ac conſtringendi, ſed reſerandi, reſerati abſtergendi, abſterſi conſolidandi, expurgata ſimul, per tempeſtiuum congruorum alterantium atque euacuantium uſum, cruditatum atque impuritatum, quae primas uias ac ſanguineam obſident maſſam, eluuie & labe. Optima uero ac praecipua huius mali remedia ſunt, bona uictus ratio, mora, ac patientia, reiectis omnibus, quae externe adhibentur, linimentis & unguentis pinguibus, obſtruendi effectu ſuſpectis; bona autem uictus ratio in ſimpliciſſimorum uſu alimentorum ac potulentorum, & quorumuis reſoluentium

atque

atque acrium fuga conſiſtit. Quale igitur expectandum emolumentum, ſi fugienda facis, facienda fugis? melius tibi conſules, ſi ſcias ſcienda, credas credendis, atque agas agenda. Recordor conterranei, qui ex iſtiusmodi mala humorum diſpoſitione, quam alcalinum dicunt ſcorbutum, in patrio iam contracta ſolo, eaque Vitembergae per intemperantiam ſuam aucta, ſcabie affectus, miſere demum hac methodo periit. Huic quippe intolerabilis erat haec cutis deprauatio & foeditas, tolerabili & grata adhuc libidine & luxuria, ſcabiei cauſa; unde citiſſimam a medico, quem conſulebat, opem deſiderans, fruſtra a medicamentis deſiderabat, quod, mutata intemperantia in ſobrietatem, perficiendum atque obtinendum erat. Obtinebat quidem, genio palatoque ſuo adhuc indulgens, priſtinam cutis elegantiam & munditiam, pingue & mercuriale, ex imprudentis conſilio medici, unguentum, partibus ſcabie aſperis atque obſeſſis applicando, ſed uix euanuerat ſcabies, ac nondum perfecte obductae & deletae erant cicatrices, cum ſubſequens reſpirandi difficultas, tuſſis ſicca, ſputum cruentum, illisque, male pariter per adſtringentia curatis, ſuccedens pulmonum exulceratio, febrem lentam tabificam comitem habens, dementiam aegroti, atque imprudentiam & imperitiam medici, manifeſtarent. His ita conſtitutis, ſtatuque aegroti penitus deplorato, & quotidie deteriori reddito, mater filium, quem habebat unicum, Torgauiam abducendum curabat, in aeris, uictus, medicorum, medicamentorumque mutatione, auxilium quaerens; ſed irrita & ſuperuacanea erant omnia, omnibusque remediis fruſtra adhibitis, idem breui poſt obibat, obitumque eius acerbe lugens mater inſonti culpam omnem Vitembergae imputabat, eamque, tanquam locum exitioſum, accuſabat, criminabatur, his emiſſis querelis: *ach baette ich mein Kind nicht nach Wittenberg gethan, ſo lebte es vielleicht noch!*

K Quaſi

Quaſi uero! Aliam tibi, eamque certiorem, & magis fundatam, indicabo cauſam, ſi filius tuus ſobrietatis obſeruaſſet regulas, gnarus, ſingulos quodammodo mortales in ſe habere facultatem, abſtinentia, frugalitate, ac temperantia conſeruandi corporis robur, ac bonam ualetudinem, idem morborum expers, ſtudiorum ſuorum culturam, Vitembergae, ſine remoris, proſequi potuiſſet, ac nullis medicamentis, nulloque eguiſſet medico; deinceps uero, cum idem, corrupta & peruerſa ſua uiuendi, omniaque abligurriendi ratione, uarias ſibi infirmitates accerſiuerat, aliam, alius iam huius uitae ſtatus, longe mutatus ab eo, quem antea habebat, diaetam, alium, eumque prudentiorem & peritiorem medicum, & alia denique remedia poſtulabat; quibus neglectis, minime uero Vitembergae, praematuri cauſa interitus filii tui, adſcribenda eſt.

XXI. Has ſimilesque rerum circumſtantias, in aliarum, quae de Vitemberga referuntur, hiſtoriarum examine, non per tranſennam, ac tranſeuntes quaſi, adſpicere, ſed animo ac cogitatione quam diligentisſime circumſpicere, & contemplari, certoque examinare & ponderare iudicio decet prius, quam noſtram de iis feramus ſententiam. In claſſem huiusmodi hiſtoriarum referenda febris epidemica, qua, uigeſimo primo praeſentis ſeculi anno, mox accedentis initio ueris & ſubſequentis aeſtatis, nonnulli laborabant, nonnulli eadem plane interibant. Febris illa non unius eiusdemque generis erat, nec eadem febris iisdem ſtipata ſymptomatibus omnes peraeque inuadebat; alios afficiebat intermittens, continua affligebat alios; aliis aderant exanthemata, iisdem carebant alii; aliis purpura uel rubra, uel alba, petechiae aliis periculum minabantur, afferebant. Multi hinc, decumbentibus aliquot ſtudioſis, timore perculſi aufugiebant, & ubique locorum rumor

atque

atque auditio perſonabat, Vitembergam peſte infectam eſſe. Demortuis deinde aliquot ſtudioſis, elatis etiam una hebdomade funeribus aliquot hominum iuniorum & robuſtiorum, augebatur, celeri rumore dilato, fama infamis, ac quiuis exterorum aliquid addebat atque affingebat rumoribus, quibus certo aſſerebatur, omnibusque locis, Vitembergae etiam uicinis, nunciabatur: Leucoream noſtram, graſſantis in eadem peſtis ergo, clauſam eſſe. Tantam ex leui, leuioris impetu morbi, quem ſibi propria culpa accerſiuerant aegroti, ignominiam atque infamiam, tantam, inquam, Vitemberga noſtra, omnis expers uitii ac criminis, perferre tenebatur, ut in ora hominum, tanquam locus peſtilentiſſimus, peſtis perpetuae ſcaturigo, pro ludibrio abiret. At enim uero, indicatis ac declaratis genuinis huius hiſtoriae circumſtantiis, omnia, quae de morbo contagioſo, Vitembergam uaſtante, deſtruente, ſpargebantur, ementita ac ficta opinionum commenta, & ſuſpecta ſuſpicionibus meris nixa hominum ſtupidorum ac timidorum iudicia fuiſſe, perſpicies. Non imus inficias, ingenue potius fatemur, quosdam eo tempore petechiali affectos febre decubuiſſe, qua, & quidam ex iisdem, ſuccubuerunt; hoc ſaltem aegre ferimus, rumorem hunc, tanquam omnino falſum, improbantes, quo, uniuerſam ciuitatem noſtram morbo contagioſo, eoque truculentiſſimo, inquinatam fuiſſe, fama in uulgus diuulgata, ubicunque terrarum, omnium percrebeſcebat atque edebatur ſermonibus. Haud leuem huius rumoris iniqui culpam in ſe admittebant medici quidam iuniores, famae gloriam gloriaeque incrementum aucupantes, qui, quot quot curandos habebant aegrotos, intermittentibus continuisque affectos febribus, omnes peraeque febre maligna petechiali laborare, pronunciabant, quo, tot aegrotis conualeſcentibus, magni quid praeſtitiſ-

ſtitiſſe uiderentur. His magis & praeter modum plane, ſuſpenſi iam hominum animi, exterrebantur, terrorque auctus, adeo perturbabat plurimos, ut ſani, omnem aegrotorum conſuetudinem, domosque, in quibus decumbebant, angue peius fugerent; donec tandem, rebus ipſis, earumque rationibus maiori ſedulitate perquiſitis, ac ueris fabularum tenus hac diſſeminatarum fundamentis detectis; aperte clareque perſpicerent, perpaucos ſaltem febrem petechialem, a diſſoluta uitae ratione contractam, pati, ac quosdam eadem feliciter liberatos priſtinam recuperaſſe ſanitatem. Inanem igitur ſine cauſa metum fuiſſe, & uulgo paulatim, nullo amplius aegrotante, nullo amplius aegrotorum moriente, innoteſcebat, & uno omnium ore celebrabatur illud Poetae: (i) non ſemper habet, fato aliquo imminente cauſam, at temere, ex nihilo ſaepe parit metus ſeipſum. Quod materiam & originem huius febris epidemicae attinet, inſana perpotandi libido, libidinoſaque, cui indulgebant, uoluptatum dulcedo, fons ille erat exitioſus, ex quo ipſimet pernicioſiſſima, in uinum ueneremque effuſi, uenena hauriebant; plures quippe eorum, qui debitum naturae perſoluebant, quotidianis idem epulis ac potationibus, quibus ſe obruebant, onerabant, in acceptum referre tenebantur, laſciua iuuentus, ait SCALIGERVS, (k) fugiens dicta ſenectae, facilem ſtolide uendit inauſpicata riſum, moeroris emit ſemina poenitentiamque. Malim hinc, ex eiusdem auctoris (l) uoto, me hominis habere nihil, quam eſſe guloſus; uitae leo edens conſulit, haud libidinatur; cur ſolus homo, ut diſpereat, reperit artes? Artes illae, inutilisque corporum ſagina, non Vitemberga, accuſandae pariter, ſi quan-

(i) Scaliger lib. de Sapientia & beatitudine, qui Epidorpidum titulo Geneuae 1573. in 8uo prodiit. lib. 3. p. 73. & 74. (k) l. c. lib. 4. p. 114. (l) Tr. cit. l. 3. p. 83.

quandoque aliquis miliari affectus febre diem obit ſupremum. Si ulla unquam ſententia mihi iniqua atque in Athenas noſtras iniuſta uiſa fuit, fuit ſane haec, qua occupati nonnulli, purpuram, imprimis albam, Vitembergae incolis familiarem ac frequentem eſſe, commune miſerantes periculum, pro certo dicunt, ac de purpura, tanquam nobis endemia, graues ultro citroque querimonias iactant, huius illiusue hoc morbo demortui hiſtoriam allegantes. Hoc ita eſſe, conſtanti fama ac frequenti multorum ſermone celebratur, ſed egomet ad uiuum omnia reſecans, nullum, quod Vitembergae noſtrae adſcribi poſſet, crimen aduerti. Perpendatis modo, quot homines, octo annorum ſpatio, hac febre exanthematica laborarint, ac quot eadem decumbentes ex uita demigrarint? uix decem exempla afferre poteritis. In animum deinceps reuocate atque examinate hominum, qui eodem perierunt morbo, conſtitutionem? plures obeſos, leucophlegmatia affectos, deſides, & exteros, haud natu Vitembergenſes fuiſſe, perſpicietis. Tandem, hoc etiam atque etiam, circumſpectis rebus omnibus rationibusque ſubductis, conſiderare decet, quod purpura, quae hos illosue afficit aegrotos, non modo corrupti corrupto uictu ſanguinis effectus ſit, ſed haud raro quoque omnis malignitatis & periculi expers, uolatilium abuſu remediorum, quae ab imprudentibus inconſulte & temere praeſcribuntur medicis, anceps demum uitaeque infeſta reddatur.

XXII. Deuenimus denique, cum peſtis, febris miliaris, petechialis, aliique morbi acuti, Vitembergae, locum non inueniant, ad morbos longinquitate moleſtos, quorum ſedem multi Leucoream noſtram conſtituunt. Afferunt, haec confirmandi ergo, obſeruationes aegrotorum, quos diu quartana uexauit febris. Haud ignotus nobis eſt hoſpes, fe-

bris quartana, minime uero eadem tam frequens ac uehemens, quam perhibetur, nec propriam, ex qua generatur, cauſam, in mala ciuitatis noſtrae conditione, aut corrupta praeſidiorum ſanitatis, quae fouet & ſuggerit, natura, fundatam ac ſtabilitam deprehendes. Vnde febris quartana, nec endemium, nec epidemium Vitembergenſibus eſt malum, ſed eos ſaltem, qui crudis & copioſis ſine ordine aſſumtis alimentis abutuntur, ea inuadit ratione, qua ubique locorum, ſimilis farinae homines, a tota mente & recta in uictu ratione deficientes, ex eodem plane fundamento, affligit. Praeterea, ſi HIPPOCRATIS (m) ueſtigia ac principia ſequi uellem, qui febrem quartanam, tutiſſimam, leniſſimam, & aliorum grauiorum morborum remedium, appellat, optimam, ac ſalutarem Vitembergae noſtrae conſtitutionem, ex quartanae praeſentia febris, demonſtrare poſſem. En! ipſa Coi uerba pondera, *τῶν πυρετῶν*, ait idem, *ἀσφαλέστατος πάντων, καὶ ῥήιστος, καὶ μακρότατος ὁ τεταρταῖος, ἀλλὰ καὶ νοσημάτων μεγάλων ἄλλων ῥύεται.* Verum, malo egomet, repudiato hoc, omnique alio ſimili morbo critico, integra illibataque, cum priſcis Vitembergenſibus, ſanitate frui, quam huiusmodi morbo, quem ſalutarem naturae motum Stahliani dicunt, excruciari. Crux omnino, & moleſtia haud leuis eſt, febris quartana, ordinarius ebrietatis ac uoracitatis comes. Si igitur ab hac febri liber tutusque eſſe geſtis, abſtinentiam ac uictus ſimplicitatem habeas tibi commendatam. Rigida, regeris, & ſeruatu difficillima haec eſt regula, quam foedus, (n) exclamans, inerti male cum diaeta initur, nam lucta ferox cum miſera eſuritione eſt; acerbiora quidem, quae acriter & contente inculco, ſunt praecepta, ſed uera,

(m) lib. epidem. conf. Sponius, l. c. Sect. 3. §. 176. p. 172. (n) Scaliger tr. cit. lib. 3 p. 84.

ra, ſed utilia, ac ſumme neceſſaria. Quomodo enim, his neglectis, medicamenta corrigentia atque euacuantia, quae tibi exhibet medicus, eum, quem deſideras, effectum, praeſtare poſſunt? Quomodo, ſi, ſufficienti canalis alimentorum atque uniuerſi corporis purgatione peracta, nouis idem, luxuria diffluens, cruditatibus reples, febris abigi, ac penitus curari poteſt? Plures certe homines eodem, cum corporis, quo, cum matulae, uſu, procedunt modo; uix quippe, adhibito emetico, uel purgante remedio, uentriculus atque inteſtina ab inhaerentibus ſordibus liberata ſunt; cum mox omnis generis alimenta cruda, fumo aereque durata & compacta, piſces maxime pituitoſos ac uiſcidos, aliaque minus congrua opſonia, affatim deuorando, nouam impuritatibus materiam, nouumque generationi febris fomitem ſuppeditant; quod eo promtius grauium confluxu ſymptomatum euenit, quo maiores ſimul errores in potulentorum abuſu committuntur; nam multi, deglutitis iam cibis, quorum digeſtionem ac concoctionem difficiliorem credunt, ad facilitandam eandem, ſpiritum uini, ſic dictas aquas uitae, uinum, aut ſic dicta remedia ſtomachalia hauriunt, quae ſolidas oris, faucium, totiusque canalis alimentorum partes fortius irritando, maiorem excitant ſitim, unde ad eandem explendam, uberiori cereuiſias copia ingurgitant, iisque uentriculus totumque corpus oneratum male habetur, deprauatur, perditur. Redit ita ſus ad uolutabrum luti; redit canis ad uomitum; redit grauioribus ſtipata incommodis febris. Dicas iam mihi, dicas ingenue, an in his omnibus, ullum crimen, cuius alias Vitembergam noſtram maleuoli inſimulant obtrectatores, reperias, quod iure & merito in Athenas noſtras transferre ac deriuare queas. Minimis etiam noxis & leuioribus uitiis, quae alias excitandis

ac fouendis huiusmodi morbis fauent, Vitembergam noſtram eximi, rariora aegrotorum, quartana affectorum febre, exempla, quae habemus, facilisque ac prompta huius morbi, quam paucis & congruis remediis obtinemus, extirpatio, copioſe confirmant; etenim hoc ſancte aſſeuerare poſſum, quod aegroti quartanis apud nos febribus laborantes, qui prudentum praeceptis medicorum morem geſſerunt, breui temporis, binarum ſcilicet, uel trium hebdomadum, ſpatio, accommodatorum temperantium, reſoluentium, euacuantium, ac roborantium miniſterio medicamentorum, priſtinam & perfectam, ſine febre de integro incidente, ualetudinem recuperarint.

XXIII. Aliam adhuc praeconceptam & peruulgatam de farinaria huius loci mola opinionem perquirendam, excutiendam habeo, quae multis, probabilium ſimulacro rationum inſinuata, perſuaſit perperam, quod lapides molares, frequenter exacuti, multum ſabuli & ſubſtantiae terreae tenuioris, frumentis commoliendis, & hinc paratae farinae, admiſcendo, uariorum & multorum, nos frequenter afficientium morborum auctores ſint. Sed hoc Siculis gerris eſt inanius & anilius, cuius teſtes ſunt homines Vitembergae ſani, robuſti & longaeui. Nec adduci poſſum, ut credam, frequentius, quod molaribus, more conſueto lapidibus additur, acumen, aliquid mali afferre, uel afferre poſſe; ad certam quippe frumentorum atterendorum ac comminuendorum copiam rite praeparatus lapis molaris ſufficit, quod, dum perficit, cum atterendis atteritur ipſe, & exinde, quo ſuae functioni denuo praeſto ſit, nouum nouo conciliandum acumine robur requiritur. Perinde igitur eſſe iudico, ſiue continuo & celeri, ſiue intermiſſo ac tardo lapidis molaris, motu, eadem farinae quantitas, uel breuiori, uel longiori tempo-

ris

ris ſpatio, conficiatur. Ac, quod maximum eſt, illud ipſum, in quo cardo huius rei uertitur, otioſum otioſorum ingeniorum commentum eſt, infirmitates ſcilicet, quae ab hac cauſa deriuantur, fictae, falſae & nullae apud nos ſunt. Ignoti & rari prorſus, Dei gratia, nobis ſunt hoſpites, uentriculi imbecillitas, calculorum generatio, aliaque mala, quae, tanquam funeſti adductarum rerum effectus, allegantur. Contrarium plane, bona Vitembergenſium conſtitutio, ac plurimorum uoracitas, quae quibusdam tanta eſt, ut totas domos, ne tegula quidem relicta, abliguriant, euincit. Ita porro calculus renum et ueſicae, ſi unam alteramue excipias familiam, nulli noſtratum moleſtus eſt. Quod ad illas ſpectat familias, quibus calculus eſt morbus haereditarius, illorum Parentes alio nati ſolo, infeſta calculorum ſemina, quae ſecum aſportarunt, cum principiis generationis, propagarunt. En Vitembergam inſontem! en farinariam Vitembergae molam omni culpa crimineque uacuam! In horum explicatione occupatus, recordor pariter ſtudioſorum, qui acerbiſſimos ex calculis renum et ueſicae urinariae dolores tolerarunt, ſed morbus iſte peraeque haereditarius erat, infelicis ſucceſſione haereditatis relictus, & hinc patriae, non Vitembergae, ſoboles. Comperi eo ipſo, eadem mala, eorum ſubſidiorum abuſu exaſperata, in quibus omnem medelae ſpem ac fiduciam repoſitam habebant. Continua atque uberior infuſi Theae ingurgitatio erat, quod multi ſtudioſi ex inferiori Germania accedentes, quotidie, mane & ueſperi, ad tres quatuorue libras hauriebant, ac quo uentriculi & reliquorum uiſcerum robur adeo infringebant, deſtruebant, ut ſuis functionibus obeundis non amplius paria eſſent, atque exinde alii adhuc morbi, antiquum fouentes malum, nauſea nempe, proſtrata ciborum appetentia, uomitio, aqua intercus, propullularent. Suggerebat quidem Vitemberga noſtra aquas, hiſce infuſis paran-

dis commodas, ſed eadem minime ſuarum aquarum abuſum potatoribus iniungebat, eundem potius medici, quos conſulebant aegroti, firmisſimis argumentis refellebant, diſſuadebant. Longe grauius alii in ſanitatem peccabant, & adhuc peccant, qui affatim deglutito Theae infuſo minus contenti, cereuiſia ſimul, uino, aliisque potulentis generoſis inuicem hauſtis abutentes, dies noctesque potando conſumebant, conſumunt. Minime igitur Vitemberga, ſed pesſima haec quorundam ſtudioſorum conſuetudo, haec abominanda uitae ratio, fertile magnorum & diuturnorum morborum ſeminarium eſt. Quam turpi ac brutis ipſis aduerſo modo ſtudioſa iuuentus ſibi filum uitae praeſcindit, dum quilibet praeſtantisſimi gloriam ac dignitatem heluonis affectat. Examina atque attende multorum opulentorum ac ſic dictorum nobilium ignobilem uitam, non homines, ſed morales beluas, beluis naturalibus deteriores, deprehendes, has quippe ita creauit Deus, illi autem nefando donorum Dei, in corporis ſalutem conceſſorum, abuſu, in pesſima degenerarunt bruta. Nauis aquis repleta, nec repente denuo euacuata, in profundum maris demerſa ſubmergitur, ita plane ſtudioſus hauſti copia uini turgidus, atque ebrietate grauatus, praeſentisſimo praeſentis uitae aeternaeque ſalutis periculo ſe exponit, expoſitus ſaepe perit. Infelix merito ea iudicanda Academia, quae tales nacta ciues, loco commodorum, incommodis uariis obruitur, laeditur, angitur; infelicior uero illa, ad quam, ex aliis Academiis, huiusmodi homines, deperdita iam ac deſtructa plane per ebrietatem et ſcortationem ſanitate, accedunt, accedentes, tantam morbis, quos patiuntur, infamiam afferunt, ut iniquisſima ubique a cenſoribus maleuolis ignominia notetur. Ad haec melius eruenda, ſiſtas mentis tuae oculis homines bellos, qui uana occupatione atque affectata inertia, lenociniis uerborum, luſu & luxu, uel domi inter pectinem & ſpeculum, uel in hortis, atque

alio-

aliorum conſuetudine, tempus inutiliter terentes, ſingularis famam urbanitatis diligenter & ſollicite expetunt; qui transactis in Ienenſi aliaue Academia, inter pocula & amplexus uenereos, aliquot annis, nihil addiſcentes, omnia ſe ſcire ſimulant; qui uix neceſſariis inſtructi ſubſidiis, ſe Croeſo ditiores fingunt, efferunt; qui omnibus uitiis ſcatentes, aliorum naeuos acriter perſtringunt; qui inuidia ac liuore tabeſcentes, tabeque dorſali, nimiae ueneris fructu, laborantes, noſtram adeunt Vitembergam, ac diu apud nos ex eadem decumbunt cauſa; quid poteſt in tali rerum ſtatu Leucorea noſtra? quae eiusdem culpa? quodnam crimen? Veſtra, homines dementes, uitia ſunt, quae, ueſtri, quocunque etiam abeatis, indiuidui ſunt comites, & earundem ubique auctores calamitatum. Cogitent illi, SENECAE eſt monitum, ſi mundum ipſum, non minus mortalem, quam nos ſumus, prouidentia periculis exemit, poſſe tamen aliquantenus noſtra quoque prouidentia longiorem prorogari huic corpuſculo moram, ſi uoluptates, quibus pars maior perit, potuerimus regere ac coercere.

XXIV. Diſplicebunt haec multis, multique iisdem grauiter offenſi ex animo & uere dicent, ſe ſtudiorum ac liberalium artium ergo, Vitembergam non ueniſſe, ſed, ut, quid ibidem contingeret, quid gereretur, uiderent, notarent, *ich bin*, ſunt eorum uerba, *des Studirens wegen nicht auf die Vniuerſitaet gegangen, ſondern mich nur da umzuſehen, und dasjenige, was da paſſiret, in Acht zu nehmen.* Sed, non opus eſt hac tua tam ingenua confesſione, cum facta tua idem planum faciant, ac clariſſimis experimentis abunde doceant, ac demonſtrent. Probant idem porro tua, quae urges, deſideria, deſiderans homines commodis moribus, qui ad uitae tuae rationem & conſuetudinem accommodati ſint, quibus Vitembergam deſtitutam eſſe, aſſeris, exclamans: *man hatt hier gar niemandev, mit dem man vertraut umgehen kann.* Enim uero mirari ſatis non queo, quod homines ſimilis te-

cum uitae atque indolis apud nos requiras, cum omnia loca diſſolutis atque inertibus hominibus, qualis tu es, abundent, circumfluant. Defectus igitur ſocietatis tibi congruae ac gratae, minime in hominum apud nos degentium inopia, aut eorum moribus, ſed in tui ingenii auſteritate, ſocordia, ſtupiditate, ſtultitia, inconſtantia, aut in ipſa uirorum doctorum, quos adire debes, fuga, conſiſtit. Maximum profecto, in hominis uita, & hanc comitantium rerum aduerſarum atque aerumnarum ui & copia, ſolatium praebent congreſſus ſermoneſque hominum. Maximum peraeque detrimentum atque incommodum creat mortalibus conſuetudo atque amicitia minus ſelecta. Tales igitur, quibus familiariter uteris, adhibendi, quales commendat SENECA, aliquis uir bonus, ait, eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, ut ſic, tanquam illo ſpectante, uiuamus, & omnia, tanquam illo uidente, faciamus; nulla quippe res, uti ſubiungit LIPSIVS, magis animis honeſta induit, dubios & in prauum inclinantes reuocat ad rectum, quam bonorum uirorum uſus ac conuictus. Decet contra, malorum conſuetudinem, non ſecus ac peſte infectos, fugere, ac familiares, non placituros tantum, ſed & profuturos, non eos, qui omnia loquuntur ad gratiam, ſed qui ad ſalutem, nec qui aſſentantur, ſed qui ſincere admonent, ſeligere; nam aſſentatio, ne ad illud, cuius flagramus deſiderio, perueniamus, dum ſuadet, iam perueniſſe, impedit, recta uero admonitio, illuc, quo collimamus, nos prouehit, dum, quantum ſuperſit, & quomodo conficiendum ſit, docet. His monitis, te non amplius egere, reſpondes, te annis iam ſuperiorem eſſe, optimoque praeditum guſtu, ut ipſemet, ſine huiuſmodi morum magiſtris, quid tibi conueniat, diiudicare queas; te ſaltem, inſtas, cum uenuſtis ac commodis puellis ac foeminis uerſandi cupiditate teneri, qualem conſuetudinem Vitembergae reperiri negas, hac ef-

ſuſa

fuſa querimonia : *es fehlet in Wittenberg an Converſation mit artigen und galanten Frauenzimmer.* Commercium ac congreſſus cum piis ac prudentibus mulieribus, peraeque ut uirorum, magnum quid ad emendandos adoleſcentum mores confert. Longe alias uero foeminas, aliamque cum iis conſuetudinem tu quaeris, non perpendens, quod in tali conuentus ac commercii ſuauitate exitioſiſſimum corporis animique uenenum deliteſcat, uti ſequenti prouerbio optime declarant Itali: *una bella donna e Paradiſo del ochio, e Purgatorio della borſa, e inferno dell anima;* bella puella quid eſt ? Paradiſus amantis ocellis ; marſupipurgans, atque animae phlegeton. Hunc, ſtudioſe, caue Paradiſum, talia creſcunt illic mala malo perpetienda tuo. Audi pariter, quae tibi de mulieribus, praecepta, dat BONA, (o) facta eſt mulier a DEO adiutrix uiri, ſed dolo ſerpentis perſonam ſumſit hoſtilem; nihil in illa, niſi quod feriat, urat, interficiat; nulla eſt hyaena, nullus baſiliſcus, qui cum illius uoce & oculis conferri poſſit. Ah! fuge eius aſpectum, fuge colloquium, quicunque tuam amas ſalutem. Quid pluribus opus? antiquiſſimum uirorum ſapientum eſt ſcitum, aperiſſima lucens demonſtratione: quod inter foeminas qui nutriuntur, non magis ſapere poſſint, quam bene olere, qui in culina habitant.

XXV. Studioſi igitur, cum animos relaxare & dare ſe iucunditati uelint, caueant intemperantiam, fugiant libidinem, meminerint uerecundiae. Detur aliquid aetati, cum CICERONE (p) moneo, ſit adoleſcentia liberior, non omnia uoluptatibus denegentur, non ſemper ſuperet uera & directa illa ratio, uincat aliquando cupiditas uoluptasque rationem, dum modo illa in hoc genere praeſcriptio moderatioque teneatur: parcat iuuentus pudicitiae ſuae, ne ſpoliet alienam, ne effundat patrimonium, ne foenore trucidetur, ne incurrat in alterius damnum atque famam, ne probrum caſtis, labem integris, infa-

L 3 miam

(o) Manuductione ad coelum p. 222. (p) Orat. pro M. Caelio.

miam bonis inferat, ne quem interimat, ne interſit inſidiis, ſcelere careat; poſtremo, cum paruerit uoluptatibus, dederit aliquod temporis ad ludum aetatis, atque ad inanes haſce adoleſcentiae cupiditates, reuocet ſe aliquando ad curam rei domeſticae, rei forenſis, reipublicae, ut ea, quae ratione antea non perſpexerat, ſatietate abiecisse, experiendo contempſiſſe uideatur. Haec uerba minus rite examinata, ac ſiniſtre explicata, multis arridebunt, multique urgebunt, quod ex Ciceronis mente, otii non minus, quam negotii ratio extare debeat, Vitembergae autem omnia deeſſe, quibus cum uoluptate otium impendi queat. Quid, quaeſo, uobis, otio bene locando accommodatum, apud nos deeſt? nonne corpus tuum equitando, ſaltando, aliisque motuum generibus exercere potes? nonne amoeniſſimis locis luciſque Leucorea noſtra abundat, quae ambulatiunculis ſeruiunt? Aſt, non pergunt plurimi, qua eundum, ſed abeunt, qua itur, quid ſit futurum, minus curantes, modo praeſentibus uoluptatibus ex uoto fruantur. Ex hoc pariter fundamento huiuſmodi inertes ac ſpurii muſarum alumni, neglectis prorſus, quibus incumbere totosque ſe abdere debent, ſtudiis, omne tempus tricis, nugis, otio, luxu, ludo, peſſime perdunt, &, ſi conſuetarum naeniarum, more infantum, pertaeſi, nouas non illico in promtu habent, Vitembergam denuo, tanquam locum inutilem, uoluptatibus ſterilem, omni uacuum iucunditate, aperte reprobant & calumniantur, maximum hoc, Vitembergae dedecus atque opprobrium iudicantes, quod publicis ac ſplendidis aedificiis, infuſum Coffeae & Theae parantibus ac uendentibus, ſit deſtituta, *es iſt nicht einmahl ein rechtſchaffen Coffée-Hauß in Wittenberg.* Repugnat hoc tuum dictum ueritati, nam in cellis uinariis, quae *Italiaener-Keller* uocantur, infuſum Coffeae optime paratum quouis tempore obtinere potes. Tantam uero, obiicis, hominum turbam ibidem non reperiri, quanta iiſdem locis Lipſiae conſpicitur. Bonum hoc ſignum atque omen eſt, defendendo Vitembergenſium honori fauens, cum ſtudioſos genuinos in collegiis Profeſſorum frequentes, in uinariis contra cellis, & cauponis, quae hoſpitibus & aduenis miniſtrant potiones e fabis toſtis, raros uel nullos eſſe deceat. Et quae uoluptas ex hominum turba? turbat eadem prudentis & ſeduli ſtudioſi animum, meditationibus rerum utilium ac neceſſa-

riarum

riarum affixum. Semper ingenia excellentiora, ac uera uirtutum & eruditionis nobilitate nobilia, ſolitudinem, ſibi ipſis relicta, quaerunt, ac maximam, ex diuinorum contemplatione atque admiratione operum, uoluptatem capiunt, diligenter aduertendo, quod, quoties inter homines fuerint, ſemper deteriores redierint. Quid proſunt tam magnifica & ſplendida thermopolia? inuitant adoleſcentes ad luxum, otium, aleam, omnemque turpitudinem. Non opus eſt huiuſmodi corruptelarum illecebris, reprimendae, non fouendae eaedem ſunt; per ſe iam ad omnia uitia procliuis promtaque fertur iuuentus. Si uero hominum multitudo te adeo delectat, nundinas ac ruricolarum paganalia frequentes, ubi fortaſſis tui ſimiles, homines nempe deſides ac ſtolidos, quorum plena ſunt omnia, inuenies. Sed alium, uobis, o Noſtri, longe meliorem locum, eumque ſatis ſplendidum & magnificum, aliud hominum confluentium commercium, Academicam ſcilicet Bibliothecam, cuius uſus bis quauis hebdomade uobis offertur, conceditur, commendo, commendans inſignem, quo libros librorumque auctores Marcus Antonius Imperator amplectebatur, amorem, ex ſequentibus eiuſdem uerbis manifeſtum; *ἄλλοι μὲν ἵππων, ἄλλοι δὲ ὀρνέων, ἄλλοι θηρίων, ἐρῶσιν, ἐμοὶ δὲ βιβλίων κτήσεως ἐκ παιδαρίου δεινὸς ἐντέτηκε πόθος.* Imperator erat, qui haec dicebat; Imperator conſuetudine ac multitudine hac delectabatur; Imperatorem igitur imitans, noſtram frequenter frequentando bibliothecam, melius tibi tuiſque rebus, quam adeundo thermopolia, prouidebis. Quantae, quaeſo, felicitatis eſt, tibi, IOSEPHI HALL (q) uerbis uſus, acclamo, poſſe te heic abſque omni necromantiae crimine, quemlibet priſcorum Heroum, doctrinae ſiue humanae, ſiue diuinae, ſtatim euocare, ac cum iis dubia tua omnia liberrime communicare; poſſe te pro libito totas reuerendorum patrum acutiſſimorumque doctorum ſynodos ab omnibus terrae plagis, ſuffragia ſua tibi de arduis quibusque ſubortis quaeſtionibus, non temere illa quidem, ſed mature digeſta laturas, conuocare.

XXV. Cum igitur omnia, quae Leucorea noſtra poſſidet, ueſtris, o Noſtri, commodis atque emolumentis ſeruiant & conducant, poſtremus, qui iisdem pariter gratificetur atque officium ſuum praeſter,

(q) Medit. ſubit. p. 96. medit. 71. ad conſpect. biblioth. inſtructiſſimae.

praeſtet, eſſe nolo, omnem potius iisdem prouehendis curam ac diligentiam adhibebo, id cogitans ſemper, id unice agens, ut uariam praeſidiorum ſanitatis, quibus egetis, naturam, ac diuerſam eorum in diſcrepantibus ſubiectis, ſanis atque aegrotis, operationem enucleando, uos a malae corruptela conſuetudinis, & abuſu, felici ad uſum ſucceſſu deducam. Deſiderat, poſcit & flagitat idem, officii mei mihi clementiſſime dati atque iniuncti munus; munus, inquam, Profeſſoris Pathologiae, quod tenus hac uicario nomine, loco Nobilis Domini de Heucher, Regii Archiatri atque aulae Conſiliarii, obtinui, adminiſtraui, ac quod a SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO, DOMINO FRIDERICO AVGVSTO, SARMATARVM REGE ET ELECTORE SAXONIAE, cetera, Domino ac Patre Patriae & Nutritore noſtro clementiſſimo, mihi iam, meo nomine ſuſcipiendum atque obeundum, impoſitum & mandatum eſt, idem exigit ac poſtulat. Quam ſingularem AVGVSTISSIMI AVGVSTI, MAXIMI REGIS AC DOMINI ET PRINCIPIS indulgentiam, uti deuotiſſima deuoti animi pietate & religione ueneror, colo, ſuſpicio, ita Summi auxilio Numinis ſuffultus, omni ſtudio, omnique opera & conſilio cupide ad id aſpirabo, enitar ac contendam, ut impoſitae partibus prouinciae rite perfuncturus, de promouendo atque amplificando Dei honore & gloria, iuuandisque atque augendis huius Academiae & Ciuitatis emolumentis, commodis atque incrementis ſemper ſollicitus inueniar. Auſpicatum fauſtumque, quod Deus faxit, in Lectionibus meis initium, quas, impoſiti partibus officii aliquo modo facturus ſatis, uobis, o Noſtri, offero, a diuerſarum omnibuſque familiarium rerum, quibus quotidie fruimur, quas in deliciis habemus, quas iam petulanter negligimus, iam auide requirimus & perſequimur, quibus modo prudenter utimur, modo peſſime abutimur, examine exordiar, exorſa, morborum, internis, externiſque partibus infeſtorum, explicatione, pertexam. Quatuor quauis hebdomade horas lectionibus pathologico-medicis, & duas quauis hebdomade horas lectionibus pathologico-chirurgicis impendam. Impendi his maiori fructu ſtudia noſtra poſſent, ſi Noſocomium & Orphanotropheum, quale Torgauienſe, Waldheimenſe, Hallenſe, Vitembergae, publicis ſumtibus inſtitueretur, inſtitutoque eodem uberior Profeſſoribus Anatomiae & Pathologiae occaſio & anſa ſtatum corporum humanorum naturalem ac praeternaturalem in diuerſis cadaueribus demonſtrandi, ac ſtudioſos medicinae ad exactius Pathologiae exercitium, quod alii Praxin clinicam dicunt, deducendi, ſuppeditaretur. Pia haec ſunt uota, uotis DEVS annuat piis, atque ISTE, quem rerum mearum habui PRINCIPIVM, ſit quoque

FINIS.